# DE RERUM PUBLICARUM ADMINISTRATIONE APUD CIVITATEM REDONUM HENRICO QUARTO REGNANTE

(1598-1610)

## THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. CARRÉ

PARISIIS
EX OFFICINIS SOCIETATIS QUANTIN
7, VIA SANCTI BENEDICTI

M DCCC LXXXVIII

DE

# RERUM PUBLICARUM

## ADMINISTRATIONE

APUD CIVITATEM REDONUM

HENRICO QUARTO REGNANTE

(1598-1610)

## THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. CARRÉ



PARISIIS

EX OFFICINIS SOCIETATIS QUANTIN

7, VIA SANCTI BENEDICTI

M DCCC LXXXVIII

VIRO OPTIMO ET CARISSIMO

A. DUPUY

H. C.

# INDEX

## DOCUMENTORUM ET OPERUM
## SEU ADHUC MANUSCRIPTORUM SEU TYPIS
## MANDATORUM
## QUIBUS HÆC THESIS FULCITUR

---

### I

### DOCUMENTA ADHUC MANUSCRIPTA.

1° Archives de Rennes : 17 ; 20 ; 23 ; 29 ; 32 ; 34 ; 36 ; 46 ; 50 ; 52 ; 54 ; 57 ; 59 ; 84 ; 87 ; 136 ; 163 ; 216 ; 226 ; 246 ; 273 ; 283 ; 284 ; 319 ; 325 ; 348 ; 475, A et C ; 476, A, B, C, D (1re série) et D (2e série) ; 477 ; 478, A et B ; 479, A.

2° Bibliothèque de Rennes : Mss. 307 et 320.

3° Archives de la Cour d'appel de Rennes : Séances de février et d'août 1591, d'août 1592, de février 1595, de février 1597, de février 1598, d'août 1599, d'août 1600, d'août 1601, d'août 1602, de février et d'août 1603, de février et d'août 1604, de février et d'août 1605, d'août 1606, de février 1608, de février 1610.

4° Archives d'Ille-et-Vilaine : C. 2646 ; C. 2705.

## II

### OPERA TYPIS MANDATA.

Brissac (Maréchal de), Recueil de plusieurs harangues, remontrances, discours et advis d'affaires d'Estat de quelques officiers de la couronne et d'autres grands personnages, faict par Jean de Lannel, escuyer, seigneur de Chaintreau et du Chambort (Paris, 1622, in-8°).

Closche, Plan de la ville de Rennes : 1616 (d'Argentré, Histoire de Bretagne, 1618).

Dupuy (Ant.), Histoire de la réunion de la Bretagne à la France (Paris, 1880, 2 vol in-8°), t. II.

Gallia christiana in provincias ecclesiasticas distributa (Paris, 1856), t. XIV.

Forestier, Plan de la ville de Rennes levé après l'incendie de 1720 (Bibliothèque de Rennes, Ms. 307, 1re partie).

Leber, Mémoire sur l'appréciation de la fortune privée au moyen âge relativement aux variations des valeurs monétaires et du pouvoir commercial de l'argent (1841) ; Mémoires présentés à l'Académie des inscriptions et belles-lettres, 1re série, t. I.

Meuret (François-Claude), Annales de Nantes (Paris, 1830-31, 2 vol. in-8°).

Morice (Dom), Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique et civile de Bretagne (Paris, 1746, 3 vol in-f°), t. III.

Musée archéologique de Rennes : Plan de la vieille ville ou cité, ville neuve et nouvelle ville de Rennes.

Ogée et Marteville, Histoire de Rennes, 2 vol. in-12.

Perthuis et de la Nicollière Teijeiro, le Livre doré de l'hôtel de ville de Nantes (Nantes, 1873, 2 vol. in-8°), t. I.

Tassin, les Plans et Profils de toutes les principales villes et lieux considérables en France, ensemble les cartes (Paris, 1638) : Plan de Rennes.

REDONICA CIVITAS INEUN

I

1 Via Sancti Yvonis.
2 — canonicorum.
3 Platea siphonum.
4 Via superior balteariorum.
5 — inferior baltateariorum.
6 Platea ecclesiæ Sancti Germani objacens.
7 Via Corbin nomine.
8 — immunium civium.
9 — Sancti Salvatoris.
10 Forum.
11 Via argentariorum.
12 — putei Mesnil.
13 Platea Sancti Francisci.
14 Via Sancti Georgii.
15 — sutorum.
16 — Sancti Michaelis.
17 Duæ ambulationes Redonicæ.
18 Platea arcuballistariorum.
19 — Jacquet nomine.
20 Via campi dolentis.
21 — membranariorum.
22 — Vasselot nomine.
23 — Sancti Thomæ.

II

24 Platea monetæ.
25 Via dominarum.
26 Portus Sancti Yvonis.
27 Via laurorum.
28 — Sancti Guillelmi.
29 — dicta « de la Miterie ».
30 — Trichetin nomine.
31 — piscatorum.
32 — nova.
33 — lanariorum.
34 — Aureliani.
35 — fœnisecarum.
36 — carbonariorum.
37 — fullonum.
38 — Sancti Germani.
39 — saltatorum.
40 — Derval nomine.
41 — Sancti Francisci.
42 — Trassard nomine.
43 — vidularum.
44 — insulana.
45 — Omnium-Sanctorum.
46 — Sancti Germani.



DECIMO SEPTIMO SÆCULO




III

47 Pons piscatorum.
48 — novus.
49 — Sancti Germani.

IV

50 Domus municipalis.
51 Ecclesia cathedralis Sancti Petri.
52 Valetudinarium Sancti Yvonis.
53 Ecclesia Sancti Salvatoris.
54 Macellum.
55 Præsidiale palatium.
56 Turris magni horologii.
57 Recens Curia.
58 Vetus Curia.
59 Cœnobium Franciscanorum
60 Abbatia Sancti Georgii.
61 Ecclesia Sancti Germani.
62 Turres Sancti Germani.
63 Ecclesia Omnium-Sanctorum.
64 Vicus Carmelitarum.
65 — Jesuitarum.
66 Porta ducalis.
67 Turris furgonica,
68 — quercus.
69 Porta mordelesia vel regia.
70 — Sancti Michaelis.
71 — fullonica.
72 Turris Lebat nomine.
73 Porta Sancti Georgii.
74 Candidæ turres (Porta alba).
75 Porta Omnium-Sanctorum.
76 — campi dolentis.

V

77 Suburbium ab episcopo dictum.
78 Suburbium quod ad septentrionem vergebat.
79 Abbatia Sancti Melanii.
80 Suburbium Sancti Helieri.
81 Suburbium Magdalenes.
82 Veletudinarium cui nomen Sanitas inscribitur.

# PROŒMIUM.

## DE TOPOGRAPHIA URBIS REDONICÆ; DE MULTITUDINE HOMINUM; DE ARTIBUS OPEROSIS ET MERCATURA SUB FINEM DECIMI SEXTI SÆCULI.

---

Illud mihi proposui ut ostenderem a quibus et quo modo res publica, in urbe Redonica, sub finem decimi sexti sæculi et ineunte decimo septimo sæculo, administrata fuerit. E collegio quodam, cui nomen Consilium urbis[1] adhibendum esse visum est, cuncta fere pendebant. Præfectus urbis[2] et Curia[3] se rebus interdum immiscebant, injuriose quidem, nisi necessitate coacti intercederent. Consilium dudum institutum, sensim cum urbe crevit, paulatimque, regibus et ducibus adjuvantibus, privilegiis exornatum et auctum evasit. Antequam ista privilegia attingam, de topographia urbis nostræ, de multitudine hominum, de artibus operosis, de mercatura prius disseram.

1. Quod Consilium gallice vocabatur « la Communauté ».
2. Id est gallice « le gouverneur ou capitaine de Rennes ».
3. Scilicet « le Parlement ».

### 1. De topographia urbis.

Supervacaneum esset explicare quo modo ante exactum dimidia ex parte quintum et decimum sæculum Redonica mœnia bis loco mota fuerint[1]. Illud tantum pro certo habendum est, circuitum ab Henrico de Villeblanche sub annum 1443 transmotum, eo posthac loco semper stetisse. Qui quum ad hoc tempus ab dextera fluminis Herii totus se extendisset, tum demum, Henrico de Villeblanche auctore, ultra flumen transgressus, ripam sinistram magna ex parte circumiit. Post bellum civile, mœnia Redonica lineam hanc extremam ducebant. In septentrionem flexuosam lineam ab porta mordelesia vel regia ad portam Sancti Georgii sequebantur : quarum in intervallo duobus aliis portis, scilicet porta Sancti Michaelis et porta Fullonica interrumpebantur. Omnes hæ portæ turribus muniebantur et perpetua pariete adjungebantur. Ad orientem, abbatia Sancti Georgii intus relicta, mœnia, perpetuo fere, canalibus ex Herio derivatis proxima erant. Sub candidis turribus extremus meridiana regione canalis ad occidentem se flectebat. Novissima hæc fluminis derivatio posthac completa est. Decimo septimo sæculo, urbem Redonicam aba porta alba ad portam campi dolentis in meridiem finiebat. Porta Omnium Sanctorum duobus illis media erat. Denique ad occidentem mœnia partem inferiorem minoris brachii a flumine porrecti spectabant et a dextera brachii majoris a portu Sancti Yvonis ad portam mordelesiam tendebant. Porta ducali ad portum iter erat. Hic vetustissima mœnia manebant. Juxta pratum « Raoul » surgebant turris furgonica et turris quercus[2]. Redonicorum murorum perimetros circa duo millia et octinginta metra assequebatur

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f[os] 18 et 20. Cf. Ms. 307, f[o] 77.
2. *Ibid.*, f[os] 20, 21 et 22.

et sexcenta duo millia quadratorum metrorum circumdabat [1].

Facile est plane indicere quæ fuerit topographia urbis Redonicæ circa annum 1600. Vici quidem in media urbe aut inter septentrionem et occidentem siti fere omnino incendio destructi sunt anno 1720; manent vero documenta et descriptiones urbis, quibus præcipuas vias quales olim fuerint, et quo loco præcipuæ ædes sitæ sint animo effingere licet. Inter quæ documenta illud imprimis anno 1598 scriptum, nostra interest ubi relatum est quo cum apparatu Henricus quartus in Redonum civitatem intraverit. Ex quo Rex compositum prius a Consilio iter per vias, ut videtur, frequentissimas peregit[2]. Aliud ejusdem anni documentum quo modo imperatæ pecuniæ assignatæ fuerint nos monet [3]. Tertium, ab anno 1591 repetitum, de tributo indicendo nos certiores facit[4]. Ex quibus ambobus manifestum est urbem in sedecim diœceses divisam esse, exceptis suburbiis. Quæ diœceses « cinquantaines » gallice vocabantur, ob id vide-

1. Ogée et Marteville. — *Histoire de Rennes*, t. II, p. 182.

2. Archives de Rennes, 475. A, f[os] 36 v° et 51 v°. Henricus quartus in urbem intravit porta Omnium Sanctorum et ecclesiam cathedralem longo ambitu adiit. Post ecclesiam Omnium Sanctorum incedens, viam « Vasselot » ingressus est, sic discedens ab ecclesiâ cathedrali ad quam tamen tendebat; mox ad lævam penetravit Sancti Germani viam, flumen transiit ecclesiamque eodem nomine nominatam adiit. Facile est vel hodie priorem hanc partem itineris usque ad fluvium perficere. Sed trans ecclesiam Sancti Germani omnia mutata sunt. Rex petiit viam carbonariorum non ad nostrum tempus superstitem. Quæ tunc post ecclesiam ad septentrionem versa, viam Sancti Georgii nostram viamque fœnisecarum non superstitem cum via putei « Mesnil » jungebat ipsa non superstite. Via putei « Mesnil » quâ Rex tunc perrexit erat profecto celeberrima, quippe quæ longi itineris pars esset quod, ab oriente ad occidentem, superiorem urbem usque divideret, et a cœnobio Franciscanorum et a Curia seu *du Parlement*) ad ecclesiam cathedralem duceret. Nunc eadem fere ratio viarum habetur; quæ vero rectæ sunt; olim per flexus varios iter erat. Henricus quartus macellum (gallice cohue) transgressus est, viam sutorum persecutus est et tum demum ecclesiam cathedralem Sancti Petri ingressus est.

3. Nostra lingua « emprunt forcé ».

4. Archives de Rennes, 168 : 1598.

licet quod quinquaginta viros urbanæ militiæ quæque præberet, centurione vel quinquagenario illis imperante. In nostris documentis diœceses e via aut platea quadam semper nomen suum trahunt[1].

Quibus chartis et ceteris publicis actis nonnullam lucem affert descriptio universæ urbis anno 1616 a viro quodam, cui Closche nomen erat, efficta. Ex qua, quamvis prospectus parum rebus conveniat, multa excerpere possumus, de regione et longitudine viarum platearumve aut de ædificiorum situ[2]. Ceterum, quæ posterius descriptiones factæ sunt, haud inutiles occurrunt, scilicet descriptio a viro, Tassin nomine, anno 1638 relicta[3]; quæ quidem nullius loci nomen refert, vetustæ urbis civitatisve et novæ urbis Redonicæ descriptio, cui nullum auctoris nomen inscribitur, sub finem videlicet decimi septimi sæculi facta[4]; denique descriptio a Forestier, post incendium quod supra dixi, lineata. In omnibus circuitus idem est, eademque Herii brachia; postrema vero multum ab aliis differt, quippe quæ urbem decimo octavo sæculo instauratam effingat[5].

Herius, regnante Henrico quarto, haud secus atque hodie urbem ambas in partes dividebat; tunc vero nonnulla brachia ad meridiem projiciebat, quorum quod latissimum erat urbem inferiorem totam insulæ assimilabat. Ex utraque ripa magnæ viæ, vel ab occidente ad orientem, vel a septentrione ad meridiem ducebant. Quæ, plerumque flexæ, viis nostris perfectum in ordinem digestis parum similes erant. Ab dextera flu-

1. Archives de Rennes, 136 : 1591.

2. Plan de Closche (1616); Descriptio urbis a domino Closche, quam adhuc reperimus quibusdam in exemplaribus historiæ Britanniæ a domino d'Argentré scriptae (vide editionem anno 1618 publicatam).

3. *Les Plans et Profils de toutes les principales villes et lieux considérables en France, ensemble les cartes, par le sieur Tassin, géographe ordinaire de Sa Majesté* (Paris 1638).

4. Musée archéologique de Rennes : *Plan de la vieille ville ou cité, ville neuve et nouvelle ville de Rennes.*

5. Bibliothèque de Rennes, Ms. 307. Ire partie. Plan de Forestier.

minis, ineunte decimo septimo sæculo, a valetudinario Sancti Yvonis vel ab ecclesiâ cathedrali aut ad abbatiam Sageorgianam aut ad cœnobium Franciscanorum, longa duo itinera erant : Quorum alterum vel a via Sancti Yvonis vel a via dominarum incipiens, per plateam siphonum, per viam superiorem dein per viam inferiorem balteariorum, denique per plateam ecclesiæ Sancti Germani objacentem, et viam, Corbin nomine, continuum erat ; alterum a limine ecclesiæ cathedralis viam Sancti Salvatoris primum, deinde macellum complectebatur, denique via argentariorum, via putei Mesnil, platea Sancti Francisci continuabatur. Via Sancti Georgii quoque ab occidente ad orientem vergebat, sed cum viis, quas supra dixi, per vias tantum jungebatur quibus a fluvio ad superiorem urbem accedebatur. Denique ab ecclesia cathedrali et porta Sancti Michaelis per vias sutorum et parvam viam Sancti Michaelis et per duas ambulationes Redonicas iter erat. Ad lævam fluminis via campi dolentis, via membranariorum, via Vasselot nomine, via Sancti Thomæ a porta campi dolentis ad candidas turres ducebant.

Ex utraque ripa transversæ nonnullæ viæ erant. A turre furgonica ad portam Mordelesiam per veterem Monetæ plateam ecclesiam cathedralem prætereundo aditus erat. Via laurorum et via Sancti Guillelmi a portu Sancti Yvonis ad limen ecclesiæ cathedralis ducebant. Via dicta « de la Miterie » et via Trichetin plateam siphonum cum macello conjungebant. Platea campi « Jacquet » a turre magni horologii usque ad portam fulloniam patebat ; ex qua ad fluvium descendebant per viam lanariorum, viam novam viamque piscatorum ; a ponte novo ad portam fulloniam per viam Aureliani per vias fænisecarum, carbonariorum et fullonum tendebant. Pons Sancti Germani ab dextera fluvii continuabatur via Sancti Germani et via saltatorum[1] ; via Sancti Germani ad orientem

1. Apud nos « rue de la Gigue ».

via Derval et via Sancti Francisci producebatur. Ad lævam fluminis præcipuæ transversæ viæ erant via insulana quæ a ligneo ponte exordium sumebat, via Omnium Sanctorum, et via Sancti Germani, quod ad meridiem pertinebat. In descriptione nostra urbis Redonicæ aliæ haud ita frequentes viæ locum suum obtinent.

Addam tamen domum municipalem, ecclesiam cathedralem Sancti Petri, valetudinarium Sancti Yvonis, ecclesiam Sancti Salvatoris, macellum, præsidiale palatium [1], turrem magni horologii inter septentrionalem et occidentalem urbis partem sitas esse, scilicet in vetustissimis vicis. Cœnobium Franciscanorum atque abbatia Sancti Georgii juxta mœnia ad septentrionem simul et orientem, haud procul ab ecclesia Sancti Germani, sita erant. Curiæ apud Franciscanos nonnulla ædium membra reservabantur. Vici ad meridiem simul et orientem versi Jesuitarum et Carmelitarum erant. Ecclesia Omnium Sanctorum præcipuæ parochiæ medium locum capessebat.

In quæstorum [2] rationibus, qualia fuerint suburbia, reperimus; quorum quod ad septentrionem [3] vergebat, secabatur via Dinanni et via Sancti Laurentii; ad quod via alta et via « Reverdyais », ut videtur, iter erat [4]. Candidæ turres imminebant viæ « de Chantepie » quæ per suburbium Sancti Helieri pertinebat, porta Omnium Sanctorum viæ magdalenensi qua per suburbium eodem nomine nominatum ibatur [5].

Anno 1598, nono Maii die, Henricus quartus viam Magdalenes secutus est, puteumque « Maugé » præteriit priusquam pontem Omnium Sanctorum transmitteret [6]. Puteus

1. Quod vocamus « siège présidial ».
2. Quæstores nomine gallico nominantur « miseurs ».
3. Archives de Rennes, Comptes des miseurs : 1601 (Dépenses pour les pavés).
4. *Ibid.*, 476, B, f° 2 r° (12 juin 1600).
5. *Ibid.*, Comptes des miseurs : 1601 (Dépenses pour les pavés).
6. Dom Morice, *Preuves* (Paris, 1746), t. III, col. 1756.

vel hodie, eodem nomine, conspicitur juxta viam namneticam quæ videlicet priscæ viæ Magdalenes congruit. Denique ad occidentem suburbium, ab episcopo dictum, se extendebat, viis « de Pacé » et « de Vezin » intersectum [1]. Ad septentrionem simul et orientem nec non extra muros erat abbatia Sancti Melanii; ad meridiem simul et occidentem valetudinarium publicum [2].

## 2° De multitudine hominum.

Quæ fuerit hominum multitudo, ineunte decimo septimo sæculo, quantum licet, hic æstimandum visum est. Idcirco, quicumque in baptismatum tabellis pueri inscripti sint per quinquennium, annumeravi; dein medietatem arithmeticam assecutus sum, quam trigesies multiplicavi, quum triginta anni solitum mortalis ævi spatium esse videretur. Annos 1604, 1605, 1606, 1607 et 1608 investigatione secutus sum. Quæ acta evolvi, ad parochias S. Salvatoris, S. Albini, S. Germani, Omnium Sanctorum, S. Stephani, S. Petri juxta abbatiam Sancti Georgii, S. Martini et S. Helieri attinent; multitudinem igitur vel in urbe vel sub urbem æstimavimus. (Parochia Sancti Laurentii ex urbe Redonica pendebat; nullas vero tabellas baptismatum ad eam pertinentes repperi; quæ ceterum ab urbe aliquantum distabat.) Ab anno 1604 ad annum 1608 medietas annua mille et quadraginta tres natos indicat; quem numerum si trigesies multiplicemus, triginta una millia et ducentos nonaginta homines assequimur quæ multitudo, ut videlicet, fuit [3].

1. Archives de Rennes, Comptes des miseurs : 1601 (Dépenses pour les pavés).

2. Scilicet « la Santé ».

3. *Ibid.*, Registres de baptême des paroisses de Saint-Sauveur, de Saint-Germain, de Toussaints, de Saint-Étienne, de Saint-Pierre en Saint-Georges, de Saint-Martin et de Saint-Hélier.

### 3° De artibus operosis et de mercatura.

Quo modo, sub finem decimi sexti sæculi, artes operosæ et mercatura se haberent, ex litteris quibusdam ab Henrico tertio (1578) scriptis atque ex quibusdam libellis anno 1597 propositis conjicere licet. (His libellis[1] taxabantur merces seu ex urbibus exibant, seu in urbes introducebantur). Quibus e documentis manifestum est urbem Redonicam inter amplissima Britanniæ macella eminuisse. Imprimis florebant coriarii, zonarii iidemque baltearii, sutores et membranarii. In litteris anno 1598 scriptis Rex accuratius attingit coria vel boum vel vaccarum cortice perficienda, sicca aut madida, coria pilosa, pelles lanosas, vitulinas, caprinas. In libellis anno 1597 propositis ars pergamena magni momenti locum habere videtur. Ceterum tres viæ ex balteariis, ex sutoribus, ex membranariis nomen suum trahebant. Fabricabantur quoque fictilia, laquei, fasciæ filo textæ et scriptoria.

Illud præsertim animadvertendum est quod anno 1597 urbs Redonica commercium longinquis cum gentibus habebat. Pisces siccati et salliti, gadus morrhua, quum urbs Sancti Maclovii propinqua esset, confluebant. Textrina ars creverat, quum Redonenses mercatores quotidie cum Lexoviis vel cum Rothomagensibus pactionès facerent. Sæpius vero vestes apportabantur a Lutetia, a Bellovaco et Bononia oceanensi, a cenomannensi, pictavensi, bituricoque agro, et vel a Londinio, ab Hispania aut a Nerviis Menapiisque. Ornamento quoque habebantur segmenta, serica, fasciæ, lamellæ, lintea vel aurea vel argentea. Vellutum mediolanense aut hispanicum nonnullos amatores habebat. Britannia cum burdigalensi portu, cum Hispania, cum Portugallo vinorùm commercio

1. Qui libelli vocabantur gallice « pancarte ».

jungebatur, et Redonenses vinis Hispaniæ aut fortunatarum insularum imprimis delectabantur. Imo a Belgica atque Germania equi nundinas ad Redonicas adducebantur [1].

Urbs igitur Redonica, sub finem decimi sexti sæculi, frequens et locuples erat. Jacebat certe infra Namnetum civitatem quæ summam rerum in provincia non semel sibi arrogavit; caput tamen Britanniæ, quod ad res publicas pertinebat, erat, quippe quæ Curiam gravissimosque Regis legatos haberet. Ostendere igitur quo modo res publica ista in urbe, regnante Henrico quarto, administrata fuerit, quum hæc urbs præcipuum locum tunc obtinuerit, operæ pretium forsan est.

1. Archives de Rennes, 520 : 22 juillet 1578 ; 70 : 31 janvier 1597.

# LIBER PRIMUS

## QUIBUS ET QUA EX PARTE RES PUBLICA ADMINISTRANDA COMMISSA FUERIT.

---

## CAPUT I

De Consilio urbis : de privilegiis. — De publicis conciliis. De Consilii ministris.

### § 1. — De privilegiis Consilii.

Quinto decimo sæculo Redonica urbs adeo crevit. Certum est igitur, postquam hæc civitas sensim in majus evasit, societatem quamdam inde creatam esse, quæ publicis operibus perficiendis imprimis præesset. Cui postea nomen fuit « Consilium urbis ». Peritissimi ditissimive cives, ut videtur, huc conveniebant. Ceterum non sine prærogativa quadam civitas nostra jus sua negotia curandi acceperat. Ad sæculum enim quartum decimum si revertamur, constat anno 1342 ducem Joannem quartum Redonibus copiam fecisse ut tributum exigerent muris reficiendis omnino adhibendum; quod idcirco parietarium stipendium (seu *droit de cloison*) nomen habuit. Necesse est autem nonnulli cives communem pecuniam publice statim exegerint impenderintque. Municipale illud colle-

gium, ut videtur, raro primum convenit; semel singulis mensibus Consilium de re publica habebatur nec certum locum obtinebant in quo sententias exprimere et tabulas publicas instruere possent[1]. Non minus tamen quam personam urbis, Britanniæ capitis, egregiisque privilegiis superbæ, gerebant; inter quæ privilegia ab immunitatibus secernenda sunt; quum per immunitates tributis et officiis quibusdam cives exonerarentur, per jura vero publicos magistratus legere possent aut ipsi tributa nova indicere.

Redones neque « auxilium urbium[2] » neque subsidium præbent ex quo ab duce Francesco secundo absoluti sint; quæ gratia deinde a Carolo octavo, a Ludovico duodecimo, a Francesco primo, ab Henrico secundo, a Carolo nono[3] et ab Henrico quarto ipso confirmata est[4]. Carolus octavus edixit ut quicumque Redones feuda obtinerent omni delectu et tumultuariis evocationibus immunes essent[5]. Ceterum diploma, Henrico tertio auctore, quid militiæ civibus imponatur, plane indicit : cives arma in promptu habeant, ut, bello ingruente, urbem tutari possint, præfectum urbis aut vicarium imperatorem habeant [6]. Si qui fundum nobilem comparant, liberis ab omni munere prædiis potiuntur[7]; abhinc annum 1589 non jam locando aut vendendo vectigal ullum solvunt[8].

1. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 22.
2. Quod vocamus « l'aide des villes ».
3. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 228 : 18 avril 1484; 23 décembre 1497; 17 décembre 1512; 12 août 1534; 23 mars 1559; 21 septembre 1572.
4. Archives de Rennes, 54 : 30 juillet 1601.
5. Bibliothèque de Rennes, ms. 320. (Lettres du 21 décembre 1491, confirmées au mois d'avril 1516 par François Ier.)
6. Archives de Rennes, 52 : 12 novembre 1575.
7. *Ibid.*, 53 : 9 mai 1566.
8. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f°230. (Lettres du 18 décembre 1589, confirmées en juin 1596.)

Consentaneum est ista privilegia adeo insolita nonnunquam infirmata esse. Etenim a tributorum exactoribus non semel cives Redonici coacti sunt ut « auxilium urbium » præberent [1]; quotiescumque regi placuit inquiri de prædiis solutis [2], primarii cives non nihil incommodi senserunt [3]; quibus imo vectigal ignobilibus prædiis impositum aliquoties solvendum fuit. Charta quadam ostenditur anno 1636 judicium a Curia latum esse in Sancti Laurentii parochianos qui Redonensem civem censuissent tanquam ignobile prædium possidentem. Rationalis autem Curia tabulis publicis mandare abnuit edicta quædam quibus confirmarentur privilegia Consilii Redonici, et usque in incepto perstitit dum ab Henrico quarto « jussa scripta » recepisset [4]. Ceterum nihil fixum certumque Redonum privilegiis inest; quæ nunc videntur esse omnium civium [5], nunc a Consilio urbis contenduntur velut propria quinquaginta optimatum gentium, quas vel vectigalibus ex poculis oblique exactis liberare possint [6].

Nec solum tot tributis Redonici cives liberantur, verum etiam jura quædam propria habent. Sic ipsi procuratores syndicos suos, quæstores et contrascriptores cooptant [8], ipsi attributa Consilio urbis vectigalia exigunt [9] et vel in-

1. Archives de Rennes : 476, B, f° 57 r° : 16 octobre 1600; 476. C. f° 36 v° : 5 août 1602.

2. Quæ prædia sic vocantur quia soluta tributo quod Galli dicunt « franc fief ».

3. Archives de Rennes, 52 : 9 mai 1609.

4. *Ibid.*, 273 : 16 juillet 1636. Quæ « jussa scripta » nominantur « lettres de jussion ».

5. *Ibid.*, 54 : 3 juillet 1596.

6. *Ibid.*, 273 : 16 juillet 1636.

7. *Ibid,*, 52 : 9 mai 1609.

8. V. in hoc nostro opere, l. I, c. I, § 3 : De procuratore syndico; De quæstoribus; De contrascriptore.

9. *Ibid.*, l. I, c. I, § 3 : De quæstoribus ; l. II, c. I, § 1 : De receptis.

dictiones pauperibus curandis statuunt[1]. Quod edictum anno 1592, Martio mense, Consilium urbis in justum corpus vertit, nihil aliud profecto quam mores antiquos comprobavit et confirmavit. Frustra nova munera creare videbatur, quippe quod civitati commoda afferret jampridem usitata, nec privilegium ullum affligeret. Cui tamen diligenter intendendum est quum imaginem ferme perfectam Redonicorum magistratuum, exacto admodum sexto decimo sæculo, nobis præbeat[2].

## § 2. — De publicis conciliis

Quærendum est primum quid esset Consilium urbis, quo conveniret, quibus tempestatibus rediret, quo modo advocaretur, qui et quo habitu adessent, quis tandem præsideret.

Quinto decimo sæculo Consilium urbis æque convenit in turrem mordelesiam in qua tunc præfectus manebat, in « vestiariam cellam » ecclesiæ episcopalis, in Franciscanorum cœnobium, imo aliquoties in magistratus cujuslibet domum. Toto sexto decimo sæculo in platea quæ ab officina argentaria nomen trahit, domum quamdam tenuit[3], verum adeo angustam ut, anno 1598, eadem in platea subitarium quoddam tabernaculum construendum fuerit ubi Rex decenter acciperetur. Sedes ista Consilio nimium exigua erat, quippe quæ duo tantum conclavia haberet : ad alterum prius et idem majus, ubi, primo anni incipien-

1. Registres secrets du Parlement de Rennes : 25 juin 1597.
2. Archives de Rennes, 23 : mars 1592.
3. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 4 et 24.

tis die, concilia habebantur, gradibus aliquot aditus erat[1], alterum Consilio destinatum erat. Cenacula superstructa erant ; infra subjacebant formenta aliæque belli machinæ quibus Redonica urbs abundabat. In hac magistratuum sede nullus chartis publicis locus proprius erat ; ita ut tabulæ et acta publica in cellis reconderentur quæ pro subselliis simul habebantur[2].

Ab ipso Consilio præscribebatur quibus diebus corporati advocarentur ; præco quemque monebat[3]. Ab anno 1581 usque ad annum 1612 convocatio fuit quinto decimo quoque die, posthac sæpe septimo quoque[4]. Postquam omnes consederant, præco jurejurando affirmabat sese munere defunctum esse, dein procuratori syndico nomina omnium, quoscumque vocaverat, perscripta offerebat[5]. Sic Consilio copia facta erat absentes notandi et mulcta mulctandi. Multi tamen sæpe aberant nec non verisimile est, in illo quod supra dixi edicto (1592), Henricum quartum huic malo obviam ire voluisse cum corpus scabinorum a se creari contenderet[6]. Anno 1596 Consilium octo scabinos, quos civitas desiderabat, creat eosque quarto quoque mense mutandos[7]. Illo autem edicto collegium sex scabinorum cooptatorum, quorum tres anno perfecto mutarentur, instituere conatus erat. Videlicet ditissimi inter primarios cives hæc munera libenter recusabant, e quibus nulla auctoritate sibi addita, promiscuum quoddam decus ægre accepissent. Consultum Consilii, haud secus ac regium

1. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 85.
2. *Ibid.*, f° 5.
3. Archives de Rennes, 475, A, f°s 6 et 20 : 20 février et 13 mai 1598.
4. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 84.
5. Archives de Rennes, 475, A, f°s 6 et 8 : 20 et 27 février 1598.
6. *Ibid.*, 23 : mars 1592.
7. Bibliothèque de Rennes, ms. 320.

edictum, irritum cecidit. Quum senescallus, Curia jubente, ipse operam dabat ut Consilium publicum haberetur, inertiæ optimatum offendebat. Ut exemplo utar, anno 1598, Consilium advocari jubet; quum vero, comite secundo præsidialis juridictionis judice [1], Consilii domum ingressus est, desertam invenit [2]. Anno posteriore de Consilio urbis habendo Curia graviter decrevit; jam enumerandi erant quicumque inter primarios Consilii participes essent, quorum nemo, nisi valde excusatus, posset absistere; posterius unius vici legati de re publica consultare liceret, si ceteri legati abessent. Quo die hoc præscriptum in Consilio recitatum est, nonnullæ exortæ sunt querelæ et fuerunt qui asseverarent se posthac nunquam Consilii participes fore [3].

In incerto est quot et quales in Consilio urbis sederent. Nonnulli optimates jure suo locum obtinebant; plures vero intra domum se insinuabant, vel indigni, nullo alio proposito quam ut ambitiosis aliquot, quorum clientes essent, operam darent. Quod manifestum est ex judicio quodam, in Consilii domo pronuntiato, anno 1627, quo refertur ab iis, qui munera ab urbe tributa aut sumptus legatis collatos appetant, induci in consilia, turbam quamdam immanem sibi addictam [4]. Nemini dubium esse potest quin turbidi isti viri corpori scabinorum juste instituendo repugnaverint. Attamen, more sensim accepto, primarii quidam non solum digni habiti sunt, qui in Consilio sederent, verum etiam, ut certis momentis convenirent fere coacti sunt, scilicet quicumque summa municipalia munia egregie

1. Qui judex gallice vocabatur « alloué ».
2. Registres secrets : 17 juillet 1598.
3. Archives de Rennes, 476, A, f° 71 r° et v° : 12 novembre 1599.
4. *Ibid.*, 348 : 29 décembre 1627.

impleverant, vel procuratores syndici, vel quæstores. Imo scabini vocabantur, licet plurimi esse possent[1]. Anno enim 1604 occurrunt in Redonica urbe quinque et viginti cives, quæstorum munere defuncti[2]. Dici potest igitur vel post edictum regium (anno 1592) nullum scabinorum collegium apud Redones creatum fuisse, nomen tamen scabini magistratibus publico ministerio defunctis tributum esse, ita ut quæstores aut procuratores syndici, scabini facti, tanquam cursum honorum perficerent.

Publici ministri, ut decet, Consilio urbis intererant; in tabulis quibus consiliorum ordo mandari solebat post Regis ministros inscribuntur. Quum præfectus urbis sæpius absit, vicarius ejus aut comistabules dant nomina. Reperimus quoque et clericos et judices. Abbas Sancti Melanii, canonica Redonicæ urbis, necnon abbatissa Sancti Georgii procuratores habuerunt in universo et solemni Consilio quod calendis januariis anno 1604 habitum est; juxta, eodem die, assederunt custos valetudinarii Sancti Yvonis et præses gymnasii Sancti Thomæ[3]. Sed non solum in solemnibus conciliis locum suum habebant. Ante diem undecimum calendas novembres, anno 1606, in tabulis publicis iterum legimus nomen procuratoris quem abbatissa Sancti Georgii miserat[4]; sæpissime principio commentarii, ab dexterâ paginâ vocabulum « clerici » legitur, contra nomina comistabilium[5]. Inter judices animadvertimus imprimis regium apud præsidialem juridictionem cognito-

1. Archives de Rennes, 52 : 9 mai 1609. Cf. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 41.
2. *Ibid.*, 84 : 31 décembre 1604.
3. *Ibid.*, 84 : 1er janvier 1604.
4. *Ibid.*, 478, A, f° 2 r°.
5. *Ibid.*, 475, A : *passim.*

rem [1], dein vicarium [2], senescallum et secundum præsidialis juridictionis judicem [3], et vel Senatus ministros, scilicet civilium aut capitalium judiciorum scribas, tabelliones et eosdem libelliones [4], et apparitores [5]. Decretum est anno 1627 istis omnibus et quibusdam aliis liberum Consilii aditum fore; sic visum est posse excludi quicumque injuriose adhuc obrepsissent; ex quo decreto Consilii tabulæ perpetuum quoddam commentarium accipiunt; quum jus sedendi centurionibus quibus nomen est quinquagenariis tributum esset [6]; tres eorum in domum publicam certâ die venerunt [7], post mensem tres et decem in tabulis nominantur [8].

Ex his apparet publica concilia aliquando frequentissima fuisse, sed præsertim calendis Januariis quibus comitia haberentur. Tunc proceres præfecti comites [9] in domum Consilii jure conveniebant. Nemini ministrorum Consilio urbis hærentium abesse licebat; nonnulli clerici atque undecim haud minus judices aut judicum ministri conspiciebantur [10]; quinquagenarii vocati erant; regnante Henrico quarto quadraginta et vel quinquaginta viri, olim quæstores aut procuratores syndici, jus consulendi, si libebat, adhibebant. Nonnulli primarii, haud vocati, sedem affectabant. Anno prætereunte alia habebantur concilia

1. Archives de Rennes, 475, A et C, et 478, A : *passim*.
2. *Ibid.*, 478, B, f° 2 r° : 1608.
3. *Ibid.*, 476, A, f° 33 r° : 5 juillet 1599.
4. Intellige « notaires secrétaires ». Archives de Rennes, 479, A, f° 3 r° : 1er janvier 1609.
5. Archives de Rennes. 476, A, f° 71 r° : 12 novembre 1599.
6. *Ibid.*, 348 : 29 décembre 1627.
7. *Ibid.*, 475, A, f° 19 r°.
8. *Ibid.*, f° 29 r°.
9. Vernacula lingua « l'état-major ».
10. *Ibid.*, 478, A, f° 18 r° : 1er janvier 1607.

quibus tres et quadraginta et vel duo et quinquaginta viri præsentes adscriberentur [1].

Institutum erat ut unusquisque habitum honestum ostenderet, ut quirites togam et galerum induerent; quum vero ad hunc morem sæpissime revocandi fuerint, verisimile est legem parum valuisse; ceterum nihil aliud propositum erat quam ut vulgus consessu arceretur.

Præsedit primum Consilio præfectus urbis, aut, præfecto absente, vicarius ejus vel constabuli. Ut primum Consilium advocare desiit, quippe quod statis temporibus haberetur, visum est eum non jam præsidem fore. Quod quum jus, anno 1559, ministri præsidialis juridictionis sibi arrogavissent, a regio consistorio (seu *conseil d'État*) decretum fuit ut præfectus munus hoc proprium obtineret, nec non institutum est ut, absente præfecto, vicario et comistabilibus absentibus, jus præsidendi in clericos legatos caderet. Idem fuit tenor edicti regii (1592) quo vel « major urbis » creatus est dominus de Montbarot, tunc præfectus, nullis ceterum ex hoc titulo novis partibus ab eo acceptis. Præsidialis juridictionis magistratus nihilominus posthac Consilio præesse nisi sunt; quorum primus. senescallus, Lemeneust nomine, illum honorem quasi arripuit anno 1604 [2]; post aliquot annos senescallus alter de eodem contendit cum domino de Lombard, præfecti vicario; hic autem jus suum vindicavit et obtinuit [3].

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 29 et 32 : 13 et 19 avril 1598.
2. *Ibid.*, 84 : 1er janvier 1604.
3. *Ibid.*, 476, B, f° 53 v° : 17 mai 1610.

### § 3. — De Consilii ministris.

Exacto admodum sexto decimo sæculo, Consilium urbis præcipuos magistratus habebat procuratorem syndicum, exactores et eosdem quæstores, contrascriptorem, et scribam ; partem auctoritatis vel intra vel extra muros legatis mandare poterat; janitorem domûs legebat ; horologio publico rectorem præficiebat. In manu habebat apparitorem, optionem, tubicinem et tympanistas jurejurando obstrictos, publicum evigilatorem et scoparium. Centuriones militiæ suæ præponebat.

*De procuratore syndico.*

Quos inter ministros longe gravissimus fuit procurator syndicus. Quum nunquam Consilio præesset, præfecto urbis cedere videbatur; cui tamen in rebus publicis gerendis haud dubium est quin jure suo antecelleret, quippe qui Consilii commodis utique et præcipue, ut ex commentariis publicis manifestum est, consuleret.

Munus procuratoris syndici quinto decimo demum sæculo institutum est, videlicet anno 1433[1]. Ex quo urbes Britanniæ adeo mercatura et fabrorum artibus creverunt ut, in diem administratione operosiore facta, creanda fuerint Consilia constanter habenda; Consilio cuique, ut æquum est, procurator lectus est. In urbe Redonica, munus procuratoris, non ita primum præclarum, Consilio urbis sensim eminente, majus evasit[2]. Procurator plus sæculo

1. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f^os 45 et 46.
2. Perthuis et S. de la Nicollière Teijeiro, *le Livre doré de l'hôtel de ville de Nantes* (Nantes, 1873), t. I, p. 49, 65 et 70.

triginta septem libras et decem soldos tantum salarium accepit, ex anno 1570 duo et septuaginta libras abstulit et, novem post annos, trecentas haud minus assecutus est; centum post annos, salario eodem manente, argenti tantum insuper habuit, ut sumptui suo par esset [1]. Ceterum, deposito munere, præmia vel ampla assumebat; sic, anno 1603, dominus du Chesnay centum quinquaginta libris a Consilio donatus est [2].

Consilium urbis neminem summo jure procuratorem syndicum pronuntiabat. Regi designabantur tres ex principibus civitatis qui hoc munere haud indigni viderentur, inter quos præcipuum magistratum urbis legeret. Edicto anno 1592 promulgato copia Consilio facta erat in albo adscribendi duodecim viros e quibus præfectus sex scabinos traheret qui procuratorem syndicum ipsi perlegerent. Quum autem præfectus scabinos creare non posset, clausula illa irrita cecidit. Anno enim 1603 quo domino Frain subrogandus aliquis fuit, Consilium Regi tres candidatos indicavit, nec multo post a legato, domino de Brissac, resciit quem rex in munus misisset [3].

Procurator syndicus hoc præsertim cum aliis publicis magistratibus differebat quod nullum Consilium in domo municipali prius haberi poterat quam præsentes consulere jussisset. Relationem ipse, aut per vicarium, statuebat [4]. In collegio publico partes fere easdem, quas cognitor regis tunc apud judices, agebat.

Procuratori syndico diligenter inspiciendum est quid gerant quæstores, ut Consilio quæcumque licentia facta

1. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 46.
2. Archives de Rennes, 476, D, f° 4 r°: 10 février 1603.
3. *Ibid.*, 32 : 1er février 1603.
4. *Ibid.*, 475, A, *passim*.

sint denuntiet. A ratiocinatoribus accipit quæcumque documenta rationibus eorum fidem conferant ut ipse de istis rationibus referat[1]. Idem reos poscit, si qui, pecuniam publicam tractando, tabulas negligentius asservaverint aut, munere defuncti, pellucidam accepti et expensi rationem non deposuerint; quos persequitur, ut Consilio urbis debitam pecuniam solvant; quorum ante rationes absolute redditas aliquando defunctorum, heredes in judicium vocat[2].

Procurator syndicus pecuniam publicam non tractat, sed Consilium urbis de re nummaria qualibet certius facit : primarios monet de vectigalibus contra legem institutis[3]; eisdem denuntiat quid a quæstoribus summi computorum cognitores flagitent[4] ; notat qui, præfecti ad cogendas imperatas pecunias[5], segnius agant[6]; jubet advocari stipendiarios[7] quibus mercedes habitationum annuæ ærario conferendæ sint[8]; pecuniam publice sumit[9]. Nec finis hic muneris est. A procuratore exspectatur ut privatos viros ad dandam ædificandæ capellæ operam impellat[10], ut, deficientibus instruendo valetudinario nummis, gazophylacia in ecclesiis locanda curet[11]. Ab eo Consilium vult discere quæ pontium refectio opportuna videatur[12], quid gymnasium augmenti desideret[13]. Est quando procurator

1. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 91.
2. Archives de Rennes, 475, A, f° 69 v° (1598).
3. *Ibid.*, f° 8 : 6 novembre 1598.
4. *Ibid.*, 476, C, f° 17 r° : 20 mai 1602.
5. Id est gallice « emprunts forcés ».
6. Archives de Rennes, 475, A, f° 26 r° : 11 avril 1598.
7. Quos vocamus « redevanciers ».
8. Archives de Rennes, 476, B, f° 70 v°: 1er janvier 1601.
9. *Ibid.*, 478, B, f° 24 v° : 21 mars 1608.
10. *Ibid.*, 478, A, f° 52 r° : 14 mai 1607.
11. *Ibid.*, 478, B, f° 14 v° : 15 février 1608.
12. *Ibid.*, 478, A, f° 76 v° ; 24 août 1607.
13. *Ibid.*, 479, A, f° 9 v° : 16 janvier 1609.

ipse pactionem cum lignariis fabris conficit [1], lapides aut fruges aut ligna emit [2] et locationibus publice subscribit [3]. Utique personam civitatis in litibus gerit. Si quis litigator causam de urbe obtinet, mandatum [4], quo judicii exsecutio imponi possit, apud procuratorem syndicum denuntiatur; et quattuor post menses, parte adversa nihil impetrante, procurator coercitioni jam obnoxius est. Anno 1608 Consilium urbis litigabat cum notariis, qui Curiæ cancellariis operam dabant, de habendo in ecclesia cathedrali Sancti Petri subsellio quodam; causa ad regium consistorium delata, procuratori syndico Lutetia petenda fuit [5]. Post pacem anno 1598 compositam, urbs Redonica a creditoribus vexata est; procurator syndicus Consilio exposuit se quotidie ab illis urgeri; Consilio rem in longius trahere cupiente [6], procurator, precibus nequidquam adhibitis, confirmavit anno 1598 munus suum non jam ferendum videri [7]. Anno tamen sequente, quum urbs ex ære alieno laboraret, creditores procuratorem syndicum eâdem avaritiâ lacessiverunt [8], anno 1603 usque ad magnum consistorium [9] postulata sua detulerunt [10].

Quotiescumque Consilio urbis a Curia aliquid postulandum videtur, procurator syndicus ad summos judices,

1. Archives de Rennes, 478, A, f° 79 r° : 31 août 1607.
2. *Ibid.*, 478, B, f° 35 r° : 23 mai 1608.
3. *Ibid.*, 476 (2e série), f° 30 r° : 5 septembre 1603; 226 : 7 novembre 1604.
4. Scilicet « l'exécutoire ».
5. Archives de Rennes, 478, A, f° 61 r° : 2 juin 1607; 246 : 31 décembre 1607.
6. *Ibid.*, 475, A, f° 19 v° : 1598.
7. *Ibid.*, f° 73 r° · 1598.
8. *Ibid.*, 476, A, f° 5 r° : 19 mars 1599.
9. Nostra lingua « le grand conseil ».
10. Archives de Rennes, 476, C, f° 65 r° : 21 janvier 1603.

legatus venit; quod si Curia isto de postulato judicium fert, apud eumdem illum magistratum judicium pronuntiandum est [1]. Curia rationes urbis sumptuarias perspicere cupiente, procurator syndicus Consilii procuratori majori Curiæ quæcumque publicæ tabellæ et chartæ necessariæ sint exhibere jubetur [2]; quippe qui videatur personam Consilii gerere. Nemo enim alius litteras a legatis et vel ab ipso Rege urbi scriptas accipit [3]; nemo alius Regem invisit, Consilio ex hoc itinere commodi aliquid exspectante [4]. In locum procuratoris syndici absentis vicarium aut alterum quæstorum Consilium urbis sufficit [5].

### *De quæstoribus accepto et expenso præpositis.*

Procuratori syndico proximi sunt magistratus qui publicam pecuniam exigunt et rei publicæ impendunt. Qui quæstores et iidem « misæ » dispensatores (seu gallice *miseurs*) vocantur; « misa », in actis publicis, pro impensa adhibetur. Quæstores duo sunt suffragio quotannis allegendi nec non mutandi. Quod ad rem mensariam spectabat, kalendis Februariis demum annus incipiebat; Consilium tamen a kalendis januariis quæstores eligebat. Ut exemplo utar, anno 1604 nascente, a vicario procuratoris syndici Consilium urbis Redonicæ admonitum est morem antiquum esse eligendi isto die quotannis duos

1. Archives de Rennes, 476, A, f° 71 r° et v° : 12 novembre 1599.
2. Registres secrets : 23 juillet 1598.
3. Archives de Rennes, 476, D, f° 1 r° : 3 février 1603.
4. *Ibid.*, 475, A, f° 33 v° : 19 avril 1598.
5. *Ibid.*: 476, B, f° 58 v° : 11 octobre 1600; 478, B, f° 60 r° : 13 août 1608.

e primariis civibus, bonos viros, qui quæstorum pecuniæ publicæ et portorio præpositorum munus gerant annum integrum a proximis kalendis februariis. Dein vicarius renuntiavit sibi a quæstoribus, munere jam defunctis, libellum redditum esse cui adscripsissent quos inter primarios quæstura dignissimos existimarent. Perlectis horum candidatorum nominibus, nihil aliud quam in suffragium eundum erat. Maxima pars Consilii censuit legendos esse Johannem Loret et Simonem Goyer [1]. Constat igitur quæstores, munere defunctos, Consilio jure suo designavisse primarios quæsturæ imprimis pares. Septimo decimo sæculo incipiente sententias voce primum expromptas esse ex hoc conjici posset quod anno 1617 præscriptum sit suffragia tabellis hinc jam mandanda esse [2]. Nonnullæ quæsturæ conditiones sine dubio fuerunt. Anno 1622 Consilium jussit illos demum, quæstoribus munere defunctis, libello candidatos adscribendos esse qui in ipsorum parochia thesaurarii jam fuissent aut Sancti Yvonis valetudinario præpositi [3]. Ex hoc manifestum est quæsturam ad hanc diem imperitis non semel obnoxiam fuisse.

Nullum tribuebatur quæstoribus salarium; auferebant autem ex accepta pecunia quattuor denarios in singulas libras. Anno igitur 1598, acceptis triginta millibus et nongentis septuaginta una libris, quæstoribus quingentæ sedecim libræ contigerunt [4]; anno 1605 novem millibus et sexcentis quadraginta duabus libris tantum acceptis, centum et sexaginta libræ quæstoribus decretæ sunt [5].

1. Archives de Rennes, 84 : 1er janvier 1604.
2. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, fo 86.
3. *Ibid.* (Quos præpositos dicebant gallice « prévôts ».
4. Archives de Rennes, Comptes des miseurs : 1598.
5. *Ibid.*, 1605.

Quum Consilium in domo municipali habebatur, quæstoribus locus suus erat : quibus sententiam dare, dum munere fungebantur, ne si quidem optimates essent, licebat, quippe qui ratiocinatores essent; sed procul subsellio proprio utebantur [1]. Deposito semel munere nec non redditis apud summos computorum cognitores rationibus, jus censendi recuperabant [2].

De ærarii dispensatione, quæ plerumque quæsturæ conjunctissima est, posterius disseram; pauca nunc verba de quæstoribus adhibenda sunt. Qui a publicanis accipiunt denarios urbi muniendæ solvendos, id est « portoria », annuas habitationum mercedes ærario conferendas [3], tributa quæ Consilium urbis in tempus imponere potuerat [4]; quæ quæstoribus prioribus post rationes redditas solvenda superessent reposcebant [5]. Non multa quidem opera pecuniam exigebant, eamdem vero non sine improbo labore dispensabant; in actis publicis quæstorum nomina paginæ cuique, ut ita dicam, inscripta repperimus. Consilia enim de publica pecunia bene collocanda plerumque habebantur. Iisdem in tabulis quæstores sæpissime jubentur ut cui publico magistratui salarium donumve extraordinarium tribuendum curent [6], ut publicis monumentis reficiendis dent operam, ut publice emptiones faciant, ut perscribendis regum edictis impensam (seu gallice *les frais d'enregistrement*) præstent, ut, dijudicatis quibus urbs impli-

1. Bibliothèque de Rennes, ms. 320, f° 85.
2. *Ibid.*, f° 90.
3. Archives de Rennes, Comptes des miseurs, *passim*.
4. *Ibid.*, 475, A, f° 30 r° et v° : 13 avril 1598.
5. *Ibid.*, Comptes des miseurs : 1601 (Recettes : Excuse des miseurs »).
6. *Ibid.*, 87 : 9 novembre 1592 ; 475, A, f° 19 v° : 13 mai 1598 ; 476, D, f° 4 r° : 10 février 1603.

cata fuerit litibus sumptus suggerant. Anno 1598 quæstores monentur ut cataractas circum stationes in integrum restituant [1]; anno 1600 rogantur ut claustris, qua muri ruinam traxissent, struendis prævertantur [2]. Nunc domui municipali reparandæ renovandisve apud mordelesiam portam stabulis præsunt [3], nunc cum tignariis de tegendis ædibus quas tuendas habent sermonem conferunt [4]. Ligneum pontem perruptum restaurandum [5], suburbanos ponticulos restituendos curabant [6]. Magistros a plumbo instruendis antliarum fistulis præficiebant [7].

Institutum erat quæstoribus pactiones publice conficiendas esse. Nihilominus, ut supra dixi, erat quando procurator syndicus ipse paciscebatur; raro tamen hoc juris usurpabat [8], perraro Consilium urbis ad se vocabat redemptores quibuscum directo transigeret [9]. Quæstorum erat opera publica locare et operarios separatim refectionibus minimis præponere; curabant igitur vias sternendas [10], foricas mundandas [11], muros utcumque destruendos, materiam convehendam [12].

Quid fuerit munus quæstorum, quum urbem Redonicam viri præclari inviserent, non omittam. Primarii enim

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 3 v° : 10 février 1603.
2. *Ibid.*, 476, B, f° 67 v° : 8 décembre 1600.
3. *Ibid.*, 476, C, f° 32 r° et v° : 29 juillet 1602.
4. *Ibid.*, 476, A, f° 27 r° : 21 juin 1599.
5. *Ibid.*, 478, B, f° 15 v° : 15 février 1608.
6. *Ibid.*, f° 34 : 23 mai 1608.
7. *Ibid.*, 475, A, f° 18 r° : 10 mars 1598 et 476, A, f° 36 r° : 6 août 1599.
8. V. supra : De procuratore syndico.
9. Archives de Rennes, 476, A, f° 27 v° : 21 juin 1599.
10. *Ibid.*, 476, B, f° 2 v° : 12 juin 1600.
11. *Ibid.*, 476, A, f° 36 v° : 6 août 1599.
12. *Ibid.*, 475, A, f° 25 r° et v° : 3 avril 1598.

plerosque hospites donis solebant exornare. Quæstores ante multos dies emunt quæcumque ad usum pertineant, scilicet rubellum, « ypocras[1] », condituras[2], et crustula[3] et pernas[4]. Comparant texta quæ in signa vertantur[5] et vel equos in apparatum ostentandos[6]; curant ignes arte paratos excitandos[7]. Licet igitur nihil invito Consilio faciant, publicas ferias ipsi, ut placuit, instruunt.

Confirmandum est quæstores peculari haud ita facile potuisse. Quorum acta a procuratore syndico legitime inspici supra vidimus. Adde quod in Redonica civitate contrascriptori cuidam munus proprium erat ut impensas quæstorum non inanes testaretur. Consilium quæstoribus nullam pecuniam tribuebat, quin contrascriptor testimonium præbuisset. Tabulæ accepti et expensi per libras, soldos et denarios, diligentissime quæstorum administrationem sequuntur, quorum quæque rei nummariæ per annum gestæ congruit; capita omnia accepti et expensi summi computorum cognitores aut comprobavêre aut erasere. Quibus ex tabulis patet quæstores rationibus conficiendis nequaquam impares fuisse.

### *De contrascriptore*[8].

Illud contrascriptoris munus erat ut omnes libellos

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 27 v° : 11 avril 1598.
2. *Ibid.*, f° 47 v° : 5 mai,
3. *Ibid.* f° 46 r° : 4 mai.
4. *Ibid.*, f° 40 r° : 29 avril.
5. *Ibid.*, f° 42 v° : 2 mai.
6. *Ibid.*, f° 47 v° : 5 mai.
7. *Ibid.*
8. Qua voce reddidi nostrum « le contrôleur ».

recognosceret ad quæstorum impensam pertinentes[1]. Nullo ex documento satis constat quomodo per singula munere functus sit; attamen videtur ante Henricum quartum regem plus auctoritatis quam postea obtinuisse[2]. Ab anno 1514, duas et septuaginta, libras salarium habebat, nec non sex denarios ex libra quaque tractata insuper trahebat. Consilio igitur sumptui maximo erat. Ausim contendere quæstoribus duplo minorem mercedem contigisse. Ceterum munus contrascriptoris venale erat; anno 1590, ut exemplum afferam, mille et ducentis libris venditum est[3]. Quo ut onere liberaretur, Consilium, anno 1195, Regi supplicavit; causam vicit, ea tamen lege ut magistratum, qui tunc munere fruebatur, in pecuniam restitueret; de quo mox in judicium ventum est[4]. Contrascriptor deinde quotannis lectus est. Anno ineunte, quum in Consilio publico legebatur, cavebatur ne quid salarii aut stellaturæ sperare posset[5].

### *De scriba et publicis chartis.*

Nihil de munere scribæ ante annum 1486 compertum habemus. Verisimile est præfectum urbis et Consilium legatis quibusdam primum commisisse ut acta publica asservarent et mandata a Consilio denuntiarent. Mandata cuique tunc subscribebat vel præfectus urbis vel burgenses quibus promulgandum visum erat[6]. Ineunte autem sep-

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 44; Archives de Rennes, 476, C, f° 16 v° et 50 r° : 1602.
2. Archives de Rennes, 476, B, f° 26 r° : 2 juillet 1600.
3. *Ibid.*, 87 : 18 novembre 1590.
4. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 45; Archives de Rennes, 87 : 23 juin 1597.
5. Archives de Rennes, 84 : 1er janvier 1599; 1er janvier 1604, etc.
6. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 48.

timo decimo sæculo, scriba publice agebat et fidem subscribendo faciebat. Referebat, si qua conductio aut pactio ad rem publicam pertinebat, relationesque ejus idem valebant ac relationes regiorum tabellionum. Quum Redonici tabelliones istam sensim comparatam auctoritatem infitiarentur, Ludovicus tertius decimus edixit (anno 1611) et Senatus [1] (anno 1614) decrevit ut scriba Consilii suum jus servaret [2].

Nec scriba acta publica tantum asservabat aut mandata referebat, nonnulla, extra solitos commentarios, perscribebat. Quod ex scripto quodam (1608) manifestum est : legatis, quos Consilium conventibus habendis mandabat, delegatorios libellos [3] tradebat; procuratori syndico potestatem fecit intercedendi in judicio quo fulgerienses judices cum Redonicis litigabant; scriptas a Consilio præfecto urbis epistolas, litteras a præfecto aut vicario majore [4] acceptas transcribebat. Præterea publicis chartis addebat si quis publicus magistratus crearetur, si qua chartarum aut publicis in ædibus ornamentorum recognitio fieret, denique si quod edictum publicis ministris mandaretur [5].

Chartis quibusdam recognoscendis multam profecto operam scriba impendebat; quid vero quum cunctas recensere a Consilio jubebatur. Quam recensionem universam anno 1593 perscriptam et ad hanc diem servatam diligentissime perlegi, quippe quæ Redonicas chartas sub finem sexti decimi sæculi amplissimas et optime compositas fuisse ostenderet. Hodie enim nullum fere nisi ex

1. Id est « le Parlement ».
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 232.
3. Apud nos « actes de procure ».
4. Quem dicimus « lieutenant général ».
5. Archives de Rennes, 34 : 6 mai 1608.

actis publicis documentum habemus, tunc vero in saccis gravissima rerum publicarum monumenta claudebantur. Ærarium, de quo jam agam, maximis damnis affectum est, præsertim septimo decimo sæculo obeunte. Anno enim 1693, quum domus municipalis prope rueret, Consilium in cœnobium Minimorum patrum confugit, dum ædes alia strueretur. Quum autem translati sunt tituli, computi et ceteri commentarii, multi abjiciendi fuerunt qui situm traherent aut muribus et soricibus erosi fuissent [1].

Recensio, quam supra dixi, quinquaginta quinque capitibus ordinatur. Hic notantur duo magni sacci quibus condebantur « quæcumque edicta, scita, privilegia aut privilegiorum confirmationes Redonum civitati tributa fuerint a regibus, absque ducibus vel ducissis ». Dein ordine citantur quæcumque a præfectis urbis aut vicariis urbi tuendæ edicta fuerint, quæcumque tabulæ comistabilium munus attingant. Secretæ erant quæ redditæ a quæstoribus rationes (etiam nunc supersunt), nec non « tabellæ contrascriptorum » quarum, nullum jam vestigium est. Sacco cuidam, quæ ad quæstores legendos, alio quæ ad optiones pertinebant, commissa erant. Separatim collecta erant edicta Consilii, perscriptiones consiliorum et consultorum, diplomata quibus nonnulli incolæ tributis solvendis exonerati erant, æstimationes pactionesque pontibus aut muris reficiendis, relationes de viis lapide stratis aut restitutis, locationes coram præfecto urbis aut vicario compositæ. Locum etiam suum habebant census in vico unoquoque habiti, quum primum urbi Redonicæ auxilia solvenda erant. Quos si etiam nunc haberemus, quot incolas urbs

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320 f° 5.

Redonica obeunte sexto decimo sæculo numeraverit, quantum proxime conjectura licet, æstimaremus.

Illa in recensione permulta alia monumenta allegantur; inter quæ non omittam permultas scriptas urbi litteras a ducibus, ducissis, regibus, principibus, regiis legatis et præfectis. Nunc agitur de æstimationibus agrorum domorumve, quos Consilium urbis, possessores dejiciendo, comparabat; nunc de delegationibus quas, quum litigaret, magistratuum suorum cuilibet mandabat. Uno in capite recensionis vel septem et decem saccorum mentio facta est, qui judicia ab incolis suscepta testarentur; alio capite commemorati sunt duo magni sacci ubi servabantur quæcumque jurgium attingerent Redonicæ civitati cum namnetica exortum de Senatu provinciæ habendo.

Ex eadem recensione patet sacco cuique notam inhæsisse, quid intus esset indicentem; intus autem insuper fuisse summam singulorum commentariorum hic inclusorum. Quæ documenta, fere omnino amissa, hodie quantivis pretii essent [1].

Magistratus, qui scriba simul et publicarum chartarum custos legebatur, sex et triginta libras tantum salarium habebat anno 1599. Cui, quum iis rebus, pace composita, in diem majorem operam impenderet, Consilium centum libras quotannis tribuere voluit; summi vero computorum cognitores scribæ salarium nihilo augendum esse summo jure decreverunt, qui tamen non ignorarent a scribâ « Macée » triginta libras quotannis adjutori de suo deducendas fuisse [2]. Cur cognitores adeo severos sese

1. Archives de Rennes, 93 : 2 juin 1593.
2. *Ibid.*, 34 : 1 novembre 1601 ; Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 49.

præstiterint, jam explicabo. Nonnulla, ut supra dixi, extra solitos commentarios, scriba non gratuito perscribebat. Quarum quum perscriptionum quotannis breviarium cognitoribus proponeretur [1], sæpe scriba nimiam pecuniam exegisse visus est. Quod ex charta quadam haud ita post Henricum quartum regem scripta manifestum est. Quum scriba pergamenæ mandavisset quomodo quæstores cooptati essent ideoque triginta soldos posceret, cognitores viginti tantum concesserunt. Scriba quum de contrascriptore quodam admisso retulisset sexdecim soldos non ægre abstulit. Quum vero recognita domus municipalis ornamenta bis perscripsisset, ideoque triginta soldos reposceret, viginti tantum assecutus est; sex tantum et decem soldos, persignatis quas « de Brissac » scripserat litteris, tantum habuit, quanquam Consilium viginti non abnuerat. Sed quid plura? Summi cognitores, ut videtur, scribam severius habuerunt. Anno enim 1617 breviarium perscriptionum extraordinariarum non magis quam centum decem septem libras et decem octo soldos denuntiabat [2]; quum autem adjutori nihil fere aliud quam mercedem stipendio suo vix imparem penderet, illas centum decem libras lucrabatur; nec non impensis quibusdam de suo faciendis obnoxius erat.

*De legatis vel intra vel extra muros* [3].

Procurator syndicus, quæstores, contrascriptor et scriba primum inter primarios locum obtinebant; excepto scriba, hi magistratus nihil aliud quam a Consilio urbis

1. Archives de Rennes, 34 : 6 mai 1608.
2. *Ibid.* : 17 février 1617.
3. Intellige « des commissions et des députations ».

edicta exsequebantur. Quum vero interdum munus suum male tueri viderentur, Consilium parum habuit de re publica consultare et consultis suis exsequendis aliquoties præesse voluit; per legatos igitur curabat loca quædam æstimanda [1], pretia operibus imponenda [2], perscribendas quæ portæ fulloniæ [3] aut ecclesiæ Sancto Salvatori consecratæ restitutiones necessariæ viderentur [4]. Quæstores vel contrascriptorem nulla quidem lege a legationibus istis removerat [5]; quos vero interdum omittendo, nonnullam administrandæ rei publicæ partem libenter retinebat. Plurimos interdum legatos instituebat; ut exemplo utar, vicesimo tertio die novembris, anno 1609, quum de ponte novo struendo æstimandum esset, Consilii legatis adjuncti fuerunt tignarii et architecti qui fluminis magnitudinem mensi sunt et locum subducta ratione certum statuerunt ut pons viæ Aureliani recte, ut ita dicam, congrueret [6]. Alii legati, penitus explorabant gymnasium Sancti Thomæ, inquirebant in quo habitu pueri essent, et quo modo regerentur, sciscitabantur quibus esset moribus præfectus gymnasii, nec non ejus rationes expungebant [7]. Sæpissime legebantur qui opera perficienda inspicerent; aderant si qua via munienda [8], si qua mensura lapidum quadratarum facienda esset [9], si quando horologio publico rudens apponeretur [10]. Alii ab incola quoque pecuniama ccipiunt,

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 2 v° : 13 février 1597.
2. *Ibid.*, 476, A, f° 22 r° : 29 mai 1599.
3. *Ibid.*, 476, B, f° 2 v° : 28 février 1600.
4. *Ibid.*, 478, B, f° 15 v° : 15 février 1608.
5. *Ibid.*, 475, A, f° 64 v° : 31 juillet 1598.
6. *Ibid.*, 216 : 23 novembre 1609.
7. *Ibid.*, 476, A, f° 49 r° : 17 septembre 1599.
8. *Ibid.*, f°s 36 r° et 63 r° : 6 août et 22 octobre.
9. *Ibid.*, 478, B, f° 21 r° : 14 mars 1608.
10. *Ibid.*, 478, A, f° 85 r° 28 septembre 1607.

quam extruendis capellæ[1] et valetudinario[2] sufficiant, alii præfecto urbis aut regiis legatis hospitia conducenda invisunt[3]. Anno 1598, quo Rex urbem invisit, legatio quædam apud Consilium urbis creata est, labori improbo addicta, quippe quæ impensas per dies festos faciendas ordinare deberet; cujus participes fuerunt ambo constabuli, procurator syndicus, contrascriptor et sex inter primarios viros[4]. Quæstores, ab hoc summo consilio remoti, singulis tantum emptionibus semel decretis interfuerunt[5].

Jam de legatis extra muros disseram; et imprimis quid licenter factum sit ostendam. Legati ab ærario remunerationem accipiebant et ineunte decimo septimo sæculo præsertim sumptui fuerunt. Jam vidimus quem tumultum in publicis consiliis legatorum delectus cieret. Quum præfectus urbis, dum aberat, urbem Dinanni præteriens viseret, Consilium urbis misit qui illum salutaret, legatoque suo decem octo libras sumptui faciendo decrevit[6]. Si quid libra valuerit obeunte sexto decimo sæculo et quid nostra ætate valeret conferamus, decem octo libras idem valere reperimus ac centum[7]. Si quando provinciæ Ordines[8] haberentur, Consilium Redonicum legatos mittebat. Anno enim 1601, quæstores, munere defuncti, renuntiaverunt a

1. Archives de Rennes, 478. A. f° 52 r° : 11 mai 1607.
2. *Ibid.*, 478, B, f° 14 v° : 15 février 1608.
3. *Ibid.*, 476, C, f° 56 v° : 6 décembre 1602; 478, B, f° 60 r° : 13 août 1608.
4. *Ibid.*, 475, A, f° 54 v° et 55 r°. 29 mai 1598.
5. *Ibid.*, *passim.*
6. V. in hoc nostro opere, l. I, c. I, § 2 : « De publicis conciliis. »
7. Leber, *Mémoires sur l'appréciation de la fortune privée au moyen âge, relativement aux variations des valeurs monétaires et du pouvoir commercial de l'argent* (1841); Mémoires présentés à l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres, Ire série, t. I, p. 244.
8. Qua voce reddidi nostrum « les États de Bretagne ».

se expensas esse quingentas septuaginta libras et decem soldos ut legatorum Corisopitum petentium sumptibus indulgerent. Quæ pecunia vel ampla, ut illis temporibus, erat; præsertim si animadvertas quatuor tantum legatos cum altero quæstore Corisopitum missos esse. Summi igitur computorum cognitores postulatam a Consilio pecuniam non abnuendam censuerunt, verum deleverunt quinquaginta quatuor libras quas quæstor, « Macée » nomine, sibi reposcebat, utpote qui, Corisopitum eundo, tempus haud mediocre contrivisset [1].

Ante annum 1622 verisimile est mercedes legatis tributas nihil certi habuisse; ex quo vero Consilium universa lege instituit sumptus legati cujusque personæ adæquandos esse; jam præsidiales judices duodecim libras in diem, primarii octo tantum jure vindicarent; quæstoribus legatos sequi, per speciem sumptus iis suppeditandi, non diutius liceret. Quum provinciæ Ordines haberentur, duo tantum legati cum procuratore syndico abirent. Procuratori syndico non ultra octo dies abesse fas esset, nisi ut Ordinibus habitis interesset; quod si præscripto non pareret, de salario pars traheretur, vicario ejus reservata [2]. Quod præscriptum 1622 non semel neglectum fuisse verisimile est.

### *De humilioribus ministeriis.*

De janitore domûs municipalis ante extremum sextum decimum sæculum nihil compertum habeo; ex quo tempore triginta sex libras mercedem habuit ut ornamenta

1. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1601) : Dépenses faites à Quimper.

2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 90 : Règlement de 1622, art. 2, 13 et 14.

tueretur[1]; idem videlicet, quæstoribus jubentibus, pocula præbebat. In obscuro est quæ fuerint veteris illius curiæ ornamenta; quæ vero quis dubitet modica fuisse? Anno 1578 nihil aliud quam aliquot arcas et mensas reperimus[2]; anno 1609, emptis jussu Consilii non ita mediocribus ornamentis, janitor hinc jam majorem curam accepit. Servanda enim posthac habebat quatuor subsellia nucea, tomento inferta, viridique panno operta a polymitario, quem Consilium elegerat, artifice; exornabat mensam curiæ pulcherrimo tapeto quod viride, viridis nec non sericus limbus undique finiebat; quadraginta sex libris istud tapetum emptum erat. Illo anno 1607 maximi, ut illo tempore, curiæ exornandæ sumptus facti sunt[3].

Qui præfectus erat horologio publico rector, sexaginta libras mercedem habebat; turrem circumstructam habitabat, ut funem integrum servaret horologiumque optime moderaretur[4]. Haud secus campanas pulsabat sive, incendio exardente, incolas cieret[5], sive, indictis festis diebus, lætitiam publicam testaretur[6].

Apparitor quinquaginta libras mercedem obtinebat[7]; quibus in solemnibus Consilium urbis conspiciebatur, apparitor sagulum Redonicis armis intextum gerebat[8]. Quicumque consiliis adesse deberent vocabat[9], nec non admonebat quorum quid consultum interesset. Sic apparitor, nomine

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 64.
2. V. supra « De publicis conciliis. »
3. V. infra « De impensis. »
4. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1601) : Gages des officiers.
5. *Ibid.*, 50 : 21 janvier 1602.
6. *Ibid.*, 475, A, f° 36 : 27 avril 1598.
7. *Ibid.*, Comptes des miseurs (1601) : Gages des officiers.
8. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 61.
9. Archives de Rennes, 475, A, f^os^ 6 r°, 26 r°, 73 r°, etc. (1598).

Vinart, jubet coactores tributorum munere fungi[1], vel publice renuntiat recognitionem postera die habendam[2].

Seponendus fuit ab apparitore tubicen juratus, quamvis ambo munere inter se haud ita differant[3]. Anno 1601 tubicini quindecim libræ quotannis tribuuntur[4].

Ineunte septimo decimo sæculo, jurati tympanistæ quos jampridem adhiberi usitatum erat, tres erant[5].

Publicus evigilator septenis diebus ter agebat[6].

Infimus vero scoparius muros et turres, vias et plateas publicas bis quotidie immunditiis purgandos invisit[7]. Anno 1595 duodecim libras[8], anno 1601 vel decem octo mercedem habet[9].

Qua in commemoratione omisi tuitorem tormentis inspiciendis præpositum, nec non præcipuum janitorem, de quibus simul ac de militia urbana posterius disseram.

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 18 v° : 10 mars 1598.
2. *Ibid.*, f° 43 v° : 2 mai.
3. *Ibid.*, 36 : 10 décembre 1595 et 12 juillet 1613.
4. *Ibid.*, Comptes des miseurs (1601) : Gages des officiers.
5. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 68.
6. *Ibid.*, f° 70.
7. Archives de Rennes, 475, A, 24 r° : 27 mars 1598.
8. Bibliothèque de Rennes. Ms. 320, f° 70.
9. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1601) : Gages des officiers.

# CAPUT II

De præfecto urbis, de vicario, de comistabilibus.

Ineunte quinto decimo sæculo præfectus urbem summo jure administrabat. Rei publicæ sine arbitro consulebat; optimatum consiliis, si libuerat, utebatur[1]. Sensim eo perductus est ut Consilium urbis constanter advocaret; apud quod eamdem quam duces apud provinciæ Ordines personam gessit[2]. Decimo sexto sæculo jus præsidendi quidem retinuit, paulatim vero in rem militarem totus, ut ita dicam, incubuit. Jure suo extra nec non juxta Consilium agebat, medius inter regem et Redonicam civitatem. Priscam auctoritatem recuperandam, ut videtur, pace parum curavit, bello autem nemini dubium esse potest quin urbis privilegia Consiliique jura pro nihilo habuerit.

Illud autem præfecto summam gravitatem contulit quod anno 1583 munere vicarii majoris[3] apud quatuor superioris Armoricæ diœceses auctus est. Quo edicto Philippus de Bethune præfectus Redonicæ urbis nec non vicarius major creatus est; dilucide instituebatur ut, absente provinciæ præside[4], præfectus Redonicæ civitatis apud diœceses Redonum, S. Maclovii, Doli et Venetorum[5] regis vicarius, esset. Quemadmodum præsidis imperium legato,

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 14.
2. A. Dupuy, *Histoire de la réunion de la Bretagne à la France* (Paris, 1881), t. II., p. 360.
3. Scilicet « de lieutenant général ».
4. Id est « le gouverneur de la province ».
5. Registres secrets : 3 janvier 1606.

qui in urbe provinciæ capite imperabat, mandari poterat, sic absentis præfecti vicarius auctoritatem excipiebat ; vicario quoque absente, alter e comistabilibus præfecti personam gerebat[1].

Præfectus urbis ante ceteros magistratus eminebat, quippe qui salario satis amplo frueretur, lucrosis gratificationibus exornaretur et dona egregia a rege acciperet. Anno 1594 edictum est ut salarium haberet tres millia et sexcentas libras[2] de quibus videlicet vicarium ipse solveret. Ambo in turribus portæ fulloniæ gratis habitant. Lignum, quotiescumque opus est, ex silvis circa Redonum civitatem, advehi præfectus jubet[3]. Anno 1598 a Rege donatus fuit pecunia quam exigere posset vendendo novissime instituta munera vinis recognoscendis, nec non sexaginta millibus librarum quas de stellatura[4] exciperet. Quod æs haud ita facile recuperandum erat, nempe præfectus, Marec de Montbarot nomine, cum Ordinibus transegit ut triginta millia librarum de reliquo imperatorum pecuniarum auferret. Post tres annos, quinque millia et centum libras tantum receperat[5]. Nihilominus stipendio nonnullus quæstus accedebat. Comistabiles duo et septuaginta libras quotannis ex ærario accipiebant[6] ; haud secus ac præfectus, hospitium publice habebant[7].

Nunc inquirendum est quid juris in re publica gerenda

1. Registres secrets : 17 mars 1598.
2. Archives de la Loire-Inférieure. B, Plumitif 40, f° 14 v° : 2 août 1594.
3. Registres secrets : 5 mai 1595.
4. Gallice « parties casuelles ».
5. Archives d'Ille-et-Vilaine. C, 2646, f° 51 : 24 novembre 1601.
6. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1601) : Gages des officiers.
7. *Ibid.*, 29 : 11 janvier 1613.

præfectus usurpaverit. Ipse, ut videtur, vicarium et comistabiles legebat ea conditione ut a Consilio urbis delectus sanciretur; sic statuebat qui posthac publicis consiliis, ipso absente, præsiderent. Anno 1598, Johannes Jacobus de Lombard litteras quibus a domino de Montbarot vicarius lectus esset, Consilio urbis præbuit. Qui omnium primariorum præsentium statim assensu acceptus juravit se fideliter operam daturum esse[1]. Anno 1599, comistabilis eodem rite munus iniit[2]. Nec solum dominus de Montbarot vicarium et comistabiles legebat; nempe edicebat qui janitor major[3] vel publici horologii rector fieret[4]; ambo isti ministri e Consilio urbis hoc saltem pendebant quod mercedem suam publice acciperent[5]; verum munus alterius ad rem militarem, alterius ad publicam securitatem magis pertinebat quam quæ extra manum præfecti essent.

Ultra annum 1598 si revertamur, comperimus quando præfectus, neglecto Consilio urbis, specie causam Regis tuendi, administrationem rei publicæ occuparet et summo jure ageret. Anno 1591 Redonenses graviter queruntur quod dominus de Montbarot vectigalia imponat mercibus omnibus a se vel acceptis vel emissis. Quatuor et vel quinque leucis distantes ab oppido vici ab exactoribus exercentur; nempe quotannis quinquaginta et vel sexaginta librarum millia a parochiis injuriose exiguntur[6]. Finito bello quæcumque exprobrantur, præfectus in se recipit; fatetur, de collectis, non exquisita regis sententia,

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 61 v° : 10 juillet 1598.
2. *Ibid.*, 476, A, f° 49 r° : 17 septembre 1599.
3. *Ibid.*, 39 : 5 décembre 1597.
4. *Ibid.*, 50 : 21 janvier 1602.
5. *Ibid.*, Comptes des miseurs (1601) : Gages des officiers.
6. Registres secrets : 17 mai 1591.

auxiliis quibus urbem communiret; scilicet otium non habuerat ad regem mittendi qui edicta gestis suis legitimam speciem collatura referret; imo in urbe et in suburbiis solo æquandas arbitratus erat quæcumpe domus muris tuendis incommodo visæ essent. Denique a Rege petit ut omnes res gestas assensu comprobet nec non causam vincit[1]. Dum bellum civile sæviit, nullum, ut videtur, inter Consilium urbis ac præfectum certamen intercessit; credendum est rationem urbi tuendæ, a domino de Montbarot adhibitam, primariis plerumque haud ita displicuisse. Ceterum nullo modo duci obstare licebat, qui rei militari omnia accommodanda decrevisset et loco primariorum, si quando repugnarent, ageret. Senatus ipse, quamvis summam in provincia auctoritatem usurparet, nequidquam a præfecto, cujus arma essent, flagitavisset ut jura optimatum observarentur. Quid quum idem præfectus clericos, summis judicibus neglectis, sibi arriperet, judicibusque minitandis audacter responderet se legum certe inscium, non vero belli expertem, quæcumque bellum reposceret, utcumque acturum esse[2]?

## CAPUT III

### De Senatu provinciæ.

Haud secus ac præfectus urbis, administrandæ rei publicæ Senatus operam impendebat; ille vero Consilio

1. Registres d'enregistrement du Parlement de Rennes : Mai 1598.
2. Registres secrets : 21 août 1592.

urbis paulatim administrationes, in pace saltem, reliquit, summi contra judices in diem plures, quæ Consilii potius essent, quæstiones dirimendas sibi arrogaverunt. Quum rem et securitatem publicam custodirent, non semel primariorum partes susceperunt. Quamvis nullo edicto privilegia urbis infra Senatus auctoritatem posita essent, judices adeo in honore et metu habebantur ut Consilio urbis jussa imponentes aut de rebus publicis judicium ferentes, nunquam primariis offenderint.

Ceterum ubique res publicæ incomposito quodam modo tunc gerebantur. Redonicæ enim civitati deerant neque publici magistratus neque urbana militia; legibus suis utebatur quæ haudquaquam paci civili servandæ, personis bonisque defendendis, commeatibus expediendis, tuendis adversus malam mercatorum fidem aut adversus famem privatis viris impares essent. Attamen legenti secretos Curiæ commentarios patet judices constanter negotiis, quæ Consilium urbis optime jure suo conclusisset, se immiscuisse. Curia enim non solum tribunalis vice fungebatur, verum etiam publicis rebus gerendis præerat, nec quidquam idcirco a se alienum in civitate putabat; apud Redonenses imprimis, ut ex multis documentis patet, summi judices inquietis animis indulserunt.

Quod ad securitatem urbanam attinet, Senatus vetat ne alea ludatur, aut falsus habitus induatur [1]; jubet quinquagenarii noctu vias inspiciant et corripiant quibuscumque armatis nec tædis instructis obvii fuerint [2]; interdicit patribus familiarum ne pueros aut famulos nocte domo

1. Registres secrets : 4 juillet 1595 et 25 octobre 1606.
2. *Ibid.*, 7 février 1601.

exire sinant[1]; jubet quæsitor major[2] armis exspoliet scholasticos qui per urbem licenter vagentur[3]. Quæ cuncta apud Redonenses tantum a summis judicibus videntur esse præscripta. Iidem annonam venundandam regere voluerunt, curant horrea[4] cellasque vinarias[5] apud privatos a senescallo inspiciendas; pani conficiendo adsunt[6] nec non avaros granorum detentores persequuntur[7]; edicunt ut expellantur e cellis suis qui institores vinum vendere abnuerint, et in eorum locum sufficit quos senescallus dignos duxerit[8]. Tributum vino et vel pretium artum imponunt[9]. Facile crederes macellis inspiciendis Consilium urbis solum præfuisse ; attamen si animadvertas qualis legatio huic tantum officio præposita esset ineunte decimo septimo sæculo, juxta procuratorem syndicum et optimates e Consilio sedentes conspicias regium apud præsidiale tribunal advocatum, secundum judicem, tres consiliarios e Senatu et vel ipsum summum præsidem; sic per legatos suos qui ceteris antecellebant Senatus plurimum pollebat[10].

Publica auxiliorum administratio[11] ceteris in urbibus municipalis præsertim erat. Redonica vero in civitate consilio cuidam pauperum auxiliatori mandabatur, in quo

1. Registres secrets, 8 novembre 1602 et 13 septembre 1603.
2. Gallice « procureur général ».
3. Registres secrets : 16 février 1610.
4. *Ibid.*, 7 février 1595.
5. *Ibid.*, 26 septembre 1591.
6. *Ibid.*, 7 avril 1595.
7. *Ibid.*, 19 avril 1608.
8. *Ibid.*, 26 septembre 1591.
9. *Ibid.*, 25 juin 1597.
10. Archives de Rennes, 476, C, f° 1 r° : 22 février 1602.
11. Nostra lingua « l'assistance publique ».

autem reperimus consiliarios et præsides Curiæ [1]; ceterum Senatus impensis pro parte suppeditabat quippe qui pecuniam e mulctis quibusdam [2], stipes nonnullas [3] æsque de judicariis sumptibus exactum [4], consilio attribueret [5]; eamdem ad finem domino unicuique tributum quoddam imposuerat [6] et vectigal de vino colligebat [7]. Qui rationibus præfectus erat « pater pauperum » nominabatur; a Consilio urbis quidem legebatur, Curiæ vero rationes exhibebat inspiciendas [8]. Quum anno 1597 turba rusticorum, fame adacta, in urbem Redonicam confugerint, Curia ipsa, neglecto Consilio urbis, indigentibus opem ferendam curavit [9].

Quum Senatus potestatem extra judicia semper extendisset, sæpius invocabatur utpote qui regis personam gerere videretur; in Redonica præsertim civitate quam sedem habebat, cuncta fere attingeret necesse fuit; profecto rei publicæ administrandæ minutatim interesse non cupiebat; attamen, neglectis quæ inter Consilium urbis et operum publicorum redemptores pactiones fierent ut viæ purgarentur saltem præscribebat [10], tuenda omnium bona valetudine. Parum curabat quid apud Ordines provinciæ de reficiendis molibus viisque agitaretur [11], diligenter vero

1. Registres secrets : 9 août 1601.
2. *Ibid.*, 16 avril 1603.
3. *Ibid.*, 25 mai 1604.
4. Intellige « les épices ».
5. Registres secrets : 4 janvier 1602.
6. *Ibid.*, 22 octobre 1601.
7. *Ibid.*, 25 juin 1597.
8. *Ibid.*, 12 juin 1596.
9. *Ibid.*, 9 avril 1597.
10. *Ibid.*, 18 août 1605.
11. Archives d'Ille-et-Vilaine, C, 2705 f° 67 et 68 : 26 septembre 1608 et 1^er^ octobre 1610.

inspiciebat quid intra muros strueretur, quomodo se haberet ædes Jesuitarum [1], aut in monasterio Sancti Francisci quo sede ipse uteretur [2], nec non intercedebat si quando pons piscatorius [3] reficeretur aut flumen Herius navigio aptius efficeretur [4].

1. Registres secrets : 15 septembre 1606.
2. *Ibid.*, passim.
3. *Ibid.*, 25 octobre 1600.
4. *Ibid.*, 8 octobre 1599.

# LIBER SECUNDUS

## QUOMODO RES PUBLICA ADMINISTRATA SIT, QUÆCUMQUE IN MANU PUBLICORUM MAGISTRATUUM SITA FUERINT.

---

Ineunte decimo septimo sæculo Redonicum Consilium præsertim rem nummariam gerebat. Curabat vectigalia exigenda et impensas omnes faciendas. Muris et pontibus reficiendis, ædibus quibusdam struendis aut reparandis, festis habendis, illustribus viris accipiendis et vel exsequiis celebrandis jure præerat, quippe quæ maximo sumptui ærario essent. Rem militarem aut ecclesiasticam, valetudinaria, commeatus haud ita custodiebat.

### CAPUT I

De re mensaria gerenda. — De receptis publice et expensis.

Res mensaria recepta simul et expensa complectitur; quæ quum in vicem explicanda sint, in expensis tamen magis commorandum erit : nempe explorando quem ad usum pecunia evaserit, certiora de publicis tum operibus

comperiemus, moresque ævi, non ita prisci et alieno tamen colore jam obsiti, in lucem proferemus.

## § 1. — De receptis; de quibus et quomodo pecunia exacta fuerit, de receptis cum expensis ad summam collatis.

Quæstus e quatuor fontibus, ut ita dicam, exoriuntur, scilicet patrimonialibus vectigalibus, portoriis nuper a regibus Consilio concessis, tributis ex voluntate Redonensium impositis, auctionibus rerum moventium[1] Consilii nomine constitutis.

Vetustissimum e patrimonialibus vectigalibus portorium quoddam erat ferro, pannis, sarcinatorum instrumentis (seu *la mercerie*), pellibus, lanis et pecudibus bifurcis olim indictum[2]; quod supra dixi, urbi muniendæ destinatum, urbi Redonicæ sub finem quarti decimi sæculi concessum fuisse[3].

Nec non duo portoria vino quondam imposita erant. Altero, si quis cadum vini externi per aversionem venderet, viginti soldi, si quis cadum vini indigenæ, quinque soldi ærario conferendi erant; altero, si quis institor cadum vini externi distribuendo venderet, quadraginta soldi, si quis indigenæ, quinque soldi conferendi erant. Regnante Henrico quarto, Redonenses, metuentes ne tributis istis serius ocius fraudarentur, a Rege litteras postulaverunt quæ jus suum confirmarent; rex annuit ea tamen lege ut istius pe-

1. Nostra lingua « ventes mobilières ».
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 242. Archives de Rennes, 70 : 17 avril 1598.
3. V. supra : De privilegiis Consilii urbis.

cuniæ dispensatores apud summos computorum cognitores rationes redderent, ut recepti et expensi quotannis domino de Rosny index referretur [1]. Deinceps Consilium urbis tributa veluti sua suo jure exigenda haberet [2].

Patrimonio quoque habebatur si quam domum, urbis nomine, Consilium locaret, aut domus publica in area ædificatas tributo oneraret. Primo anni incipientis die, stipendiariis [3] ædes municipalis adeunda erat, ut domorum claves redderent vel debita solverent. Quæ publica bona fuerint, quæ saltem commemoranda facile æstimaret, si quis publicos commentarios, stipendiariorum nomina colligendo, evolveret. Ædem municipalem, gymnasium, valetudinaria, turrem horologio instructam, turres muris inhærentes omittam, quippe quæ libera essent; publice vero locabantur aliquot domus apud plateam campi Jacquet nomine; alia juxta portam Sancti Michaelis, nonnullæ apud plateam dictam « du Cartage » (seu : du quartage) et permulta hospitia obscura e quibus singulis sex libræ anno quoque peræque reciperentur [4]. Locabantur quoque cauponæ apud portam Sancti Michaelis aut portam Fulloniam sitæ; ex quibus annuis mercedibus janitores a Consilio salarium accipiebant [5].

Ab anno demum 1614 patrimonio habita est quæ de cataractis per fluvium interjectis pecunia perciperetur. Regnante enim Henrico quarto, mensariorum collegium, olim constitutum quod cataractas informandas curaret et grave istud opus, anno 1576 inceptum, anno demum 1585

1. Registres d'enregistrement : 11 janvier 1601.
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 243.
3. Apud nos « les redevanciers ».
4. Archives de Rennes, 476, B, f° 70 v° : 1er janvier 1601.
5. *Ibid.*, 476, D (2e série), f° 22 v° : 8 août 1603.

perfecisset, e mercibus fluvio subvehendis pretium a se impositum trahebat[1].

Extra quæ patrimonialia ducebantur vectigalia, nonnullus quæstus Consilium urbis in manu habebat. Nempe ab Henrico quarto concessa fuerunt portoria de vino per aversionem aut per partes vendendo exigenda. Anno 1592 edictum est ut, si quis cadum per aversionem venderet scutum vel dimidiam scuti partem ærario conferret[2], anno 1598, ut, si quis per amphoras vinum venderet, soldum vel teruncium per singulas exsolveret[3]; posterius vero tributum ab anno demum 1609 constanter exactum est. Scutum aut soldus de vinis externis, scuti dimidium aut teruncius de vinis indigenis percipiebantur[4].

Jus tributa imponendi Redonenses quidem non obtinebant; quod vero bello civili occupaverunt. Primo enim anni 1591 incipientis die, Consilium decrevit ut tributum urbi muniendæ adhibendum jam exigeretur; quo neque nobiles, neque viduæ, quocumque in loco sitæ, exonerati fuerunt[5].

Quæ, muris destructis, materia vendebatur fortuitum quemdam quæstum suppeditabat. Nonnullum tamen fructum, annis 1602 et 1603, Consilium percepit, nam muros destruendo, ligna e turribus dirutis extracta vendidit[6].

Per redemptionem et maximam licitationem[7] locabantur quæcumque tributa mercibus in urbem advectis impo-

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 252.
2. *Ibid.*, f° 258 : 24 mars 1592.
3. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1601).
4. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 264.
5. Archives de Rennes, 136 : 1er janvier 1591.
6. *Ibid.*, 476, C, f° 25 v° : 27 juin 1602 ; 476, D, f° 8 r° : 28 février 1603.
7. Galli dicebant « par adjudication et à chandelle éteinte ».

sita essent. Principio de redemptione agebatur coram Consilio, cui præfectus urbis aut vicarius præesset ; sic res se habuit fere ad finem decimi sexti sæculi ; præsidiales vero magistratus tributa apud se locari voluerunt et præfecto urbis adeo certaverunt ut, permota re publica, Senatus, anno 1588, sibi interveniendum arbitratus sit. Decrevit igitur ut tributa in præsidiali auditorio jam locarentur coram duobus senatoribus[1] quibus procurator syndicus nec non aliquot publici scabini assidere possent[2]. Nihil ergo præsidiales judices assecuti erant nisi ut sedem suam Senatui et Consilii legatis præberent; præfectus vero et vicarius ejus publicis tantum operibus locandis deinceps jure adessent[3].

Mancipibus impositum erat ut quatuor denarios in singulas libras insuper locatione penderent. Qui denarii quæstoribus mercedi de accepto tribuebantur. Si quis manceps interiret, heredes ejus, quæcumque ærario debita superessent, solvenda recipiebant; in locum mancipis succedebant. Sic, anno 1599, vir quidam, Johannes Merault nomine, tributum urbi muniendæ per continuos tres annos exigendum conduxerat; quum interea obiisset, pueros parvulos relinquens, vidua, tutrix facta, quæstoribus tradidit tabulas quibus tutrix institueretur, ut deinceps cum istis jure agere posset, nec non quæstores ipsi has tabulas rationibus, quas summis computorum cognitoribus præbuerunt, adhibuere[4].

1. Apud nos « conseillers à la Cour ».
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 261 ; Archives de Rennes, 475, A, f° 30 r° et v° et Comptes des miseurs (1601).
3. Archives de Rennes, 216 : 3 septembre 1599 (Bail des ponts); 284 : 20 mars 1609 (Bail de la construction d'un bâtiment du collège, etc.).
4. *Ibid.*, Comptes des miseurs (1601).

Haud dubium est quin mancipes ministros exigendis tributis adhibuerint; nihil vero de rationibus utrorumque comperti habemus. Quæstorum contra rationes rem nummariam pellucidam præbent et quæ, regnante Henrico quarto, publice acciperetur pecunia, palam ostendunt. Quæstus singulis annis majores aut minores percipiendi erant quum necesse esset impensis faciendis congruerent. Bello autem impensæ, ut æquum est, ingravescebant; et vel pace, si Consilium ædes novas struendas vel veteres sumptuose reficiendas susciperet, si festa publica habenda indiceret, si quem egregium hospitem acciperet. Rex tunc orabatur ut novos quæstus urbi permitteret; Consilium urbis suo jure auxilia quædam ab incolis reposcebat. Anno 1595, dum civile bellum sæviebat, quæstores Redonenses triginta sex millia et ducentas quadraginta octo libras, duodecim soldos, decem denarios in receptum retulerunt [1]; anno 1598 triginta millia tantum et nongentas septuaginta libras, duos soldos, sex denarios [2]. Anno enim 1598 bello minus suppeditandum erat et quæstus vel infra cecidisset nisi ad Regem accipiendum maximi sumptus adeundi essent. Qui anno 1600 quæstores erant, quum res recte se haberet, non magis quam novem millia et quingentas quadraginta duas libras et decem soldos perceperunt [3]; qui anno 1601 quæsturam gerebant decem millia et septingentas sexaginta novem libras exegerunt [4]. In eodem fere ratio recepti stetit usque ad annum 1605 [5]; anno vero 1606 tertiam insuper partem receptam denuntiat [6];

1. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1595).
2. *Ibid.* (1598).
3. *Ibid.* (1600).
4. *Ibid.* (1601).
5. *Ibid.* (1602, 1603, 1604, 1605).
6. *Ibid.* (1606).

anno 1607 non minus quam octoginta octo millia et ducentas libras ostendit; primis vero paginis commentariorum deficientibus unde permulta illa pecunia exacta fuerit, confirmare non possum[1]. Constat solum multa tunc opera publica pariter perficienda fuisse, nec non contendere ausim a mancipibus, qui tributa triennio conducerent, redempturas semel quæstoribus solutas esse ; quod certius videtur, si animadvertas rationem recepti ad duodecim millia et sexcentas nonaginta duas libras, novem soldos, quatuor denarios, anno 1609 decidisse[2]. Cur duobus annis subsequentibus creverit[3], nulla alia causa est nisi quod soldus et teruncius jam amphoræ cuique vendendæ constanter impositi sint, ceterum inde summa recepta haud ita major evasit.

Quæ patrimonialia vectigalia habebantur solemnibus impensis tantum paria erant ; plerumque nulla alia pecunia publice percipiebatur; novis vero tributis opus erat, si qua via aperienda esset, si quis pons transmittendus, si quid ornamenti domo municipali, si quid augmenti gymnasio adhibendum, si palatium Senatui novum strueretur.

Non semel summæ recepti et expensi parum inter se congruerunt ; nec non omnino dispares aliquoties fuerunt. Exacto enim anno 1595 superfuerunt tredecim millia et septingentæ quadraginta octo libræ[4], anno 1598 tria millia et nonaginta duæ[5], anno 1607 magis quam quinquaginta sex millia[6]. Aliquoties vero recepta infra impensam pecu-

1. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1607).
2. *Ibid.* (1608).
3. *Ibid.* (1609, 1610).
4. *Ibid.* (1595).
5. *Ibid.* (1598).
6. *Ibid.* (1607).

niam jacebat, quæstoribusque oneri erant quascumque pactiones, suarum facultatum immemores, fecissent. Haud ita grave aliquando erat ; anno 1609 enim quinquaginta octo libræ Consilio urbis a quæstoribus restituendæ sunt [1] ; quum vero, rationes conferendo, Consilium receptis annumeraret quæ nundum a mancipibus soluta essent, quæstoribus nonnihil negotii accidebat, si quis manceps multam pecuniam reliquam solvere abnueret. Quos tamen liberos dimittere Consilium poterat et vel debitorem ære alieno exsolvere, si quis mancipium detrimento habuisse videretur ; anno enim 1601 de mille et octingentis septuaginta quinque libris decessit [2].

§ 2. — De impensis solitis vel insolitis ; de publicis operibus : de muris ; de via Aureliani ; de ponte novo et nomismate quodam in commemorationem ; de viis per urbem aut sub urbem lapide sternendis ; de domo municipali et de gymnasio reficiendis ; de publicis operibus locandis. De largitionibus, de festis et funebribus : Quo rite clarissimi viri urbem introïrent, et imprimis Henricus quartus (1598), dux de Vendome (1608) ; quid funebribus marescalli Johannis d'Aumont impensum fuerit (1595), quæ mortuo Henrico quarto officia exsequialia celebrata sint (1610).

Impensæ solitæ ab insolitis secernendæ sunt ; quarum priores magistratuum mercedibus et omnibus operibu

1. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1601).
2. *Ibid.*

publicis, posteriores auxiliis, largitionibus quibusdam et festis publicis indicebantur.

Præterquam quod ministris suis Consilium urbis mercedem præbebat, stipendio magistratuum quorumdam persolvendo suppeditabat. Nempe, Henricus secundus, instituta apud Redonenses præsidiali juridictione (1552), novo judicum collegio mille et quadringentas libras tribuendas censuit, quarum ducentæ et quinquaginta a Consilio præstarentur. Ab anno 1685 vel ducentas et septuaginta libras eodem contulit Consilium. Ceterum ut sumptum reficeret, a regibus jus accepit salariam annonam imponendi[1]. In tabellis quæstorum pecunia præsidialibus judicibus stipendio tributa solitis impensis præscribitur; quam subsequuntur mercedes publicis ministris attributæ[2].

Nulla præfecto urbis merces debebatur[3], hospitium vero parandum erat. Quum, Henrico quarto jubente, Redonenses muros destruxerunt, nulla in turribus habitatione relicta, necesse fuit Consilium domum conduceret in qua præfectus collocaretur[4]. Nam vicario ejus trecentæ quotannis libræ tribuebantur, ut deinde sumptu privato habitaret; ab anno 1613 unicuique comistabilium ducentæ libræ eamdem ad finem tributæ sunt[5]; præfecto vero nullam hujus generis indemnitatem præstari decebat. Ceterum anno 1606 præfectus urbis creatus fuit dominus de Bethune, cujus Sully frater erat, et idem apud romanam civitatem antea legatus; qui quum Redonica in urbe, hospitium haud ita modicum sibi designari cupiret, per episto-

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 284.
2. Archives de Rennes, Comptes des miseurs : *passim*.
3. V. supra : De præfecto urbis.
4. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 218.
5. *Ibid.*, f° 220.

lam dominum de Brissac, regium apud Britannos legatum, monuit ut primarios liberales esse juberet; etenim de Brissac primarios jussit ut hospitium, suo saltem haud impar, domino de Bethune pararent[1]. Tunc autem domus, in quibus proceres habitarent, difficilius reperiebantur. Anno 1602, quum marescallus de Brissac episcopalem domum teneret, episcopus in urbem advectus, ubi habitaret non habuit; annus exactus est priusquam domina quædam de la Muce Consilio domum suam locaret, in qua legatus tandem collocatus est[2]. Domini de Brissac et de Bethune ut ædes sibi publice struerentur exoptabant, Consilio vero offenderunt, nec non locatas domos habuerunt; contenderant tamen insolitum esse ut in urbibus, Senatu exornatis, proceres per præcursores hospitium obtinerent[3].

Plurima vero pecunia publicis operibus impendebatur. Dum urbs redonica munita fuit, mœnia integra servanda fuerant, et vel urbe aperta quum jam ædibus sumptuose extruendis primarii indulgerent, impensæ eædem manserunt. Anno 1598 Consilium habitum est de reficiendis apud portam Mordelesiam cataractis[4] et de reparanda porta Alba[5]; anno 1599 turrem Fulloniam sarciendam primarii notavere[6]; anno 1600 cataractas struendas nec non reficiendos, qua quassi essent, muros curaverunt[7]. Anno 1601 portis et turribus opera

1. Archives de Rennes, 17 : 3 février 1607.
2. *Ibid.*, 476, C, f° 48 r° : 23 septembre 1602.
3. *Ibid.*, 17 : 19 mai 1607. Intellige : « Il n'est pas accoutumé de loger par fourrier » les grands personnages « aux villes de Parlement ».
4. *Ibid.*, 475, A, f° 3 v° : 13 février 1598.
5. *Ibid.*, f° 66 r° : 7 août.
6. *Ibid.*, 476, A, f° 22 r° : 28 mai 1599.
7. *Ibid.*, 476, B, f° 20 r° : 12 juin 1600.

postremum data est [1]. Nempe, ab anno 1602, rebus mutatis, diruuntur turrium tecta, tignaque et tabulæ inde extractæ publicantur [2]. Non jam de muris reficiendis agetur; munimentis juxta portas destructis parcitum erat tantum ædificis quibusdam quæ ex usu aliquando esse possent. Sic stabula equilia ad portam Mordelesiam sita anno 1608 refecta fuerunt in quibus præfectus urbis equos haberet [3]. Pecunia vero quam ad hanc diem urbi muniendæ Consilium adhibuerat, jam exornandæ vel salubrius instaurandæ civitati impensa fuit. Ab anno 1598 decretum est perficiendam esse viam horologii ut a fluvio ad portam Sancti Michaelis continuo itinere citius iretur; anno 1605 aperta est via Aureliani quæ recta linea cum ponte novo congruit [4].

Redonenses jam tum destinaverant vias suas corrigere. E consulto quodam a Senatu [5], postulante Consilio, pronuntiato anno 1598, manifestum est quid exacto prope decimo sexto sæculo vicis dirigendis necessarium videretur. Jam « si qua domus in urbe aut sub urbe instauraretur vel tantum restitueretur, quidquid in viam promineret, destruendum erat; usque ad primum tabulatum muri aut lapide aut latercuio struenda erant : nulla apud vias frequentes, quæ angustiores viderentur, domus restituenda erat quin Redonicus senescallus, præsente majoris regii procuratoris vicario, lineam notaret ut minima mora euntibus fieret : quicumque in urbe aut sub urbe habitarent, nullo discrimine,

1. Archives de Rennes, Comptes des miseurs (1601).
2. *Ibid.*, 476, C, f° 25 v° : 27 juin 1602; 476, D, f° 1 r° : 3 février 1603
3. *Ibid.*, 478, B, f° 66 r° : 21 août 1608.
4. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 322.
5. Apud nos « un arrêt de la Cour ».

prohibendi erant ne subsellia, scabella, ligneas cathedras, taxillas et cætera pro domibus collocarent, neve tabernis suis vela, lintea, perticas, scopas, mercesve alias in venditationem præponerent, quæ impedimento esse possent[1] ». Consilium igitur vias dirigendas sibi vindicabat, jusque suum, anno 1588 a Senatu concessum, anno 1610 confirmatum habuit[2].

Pons novus, aperta demum via Aureliani, struendus est; cui licet paulisper tantum post Henricum quartum mortuum opera data sit, nonnullum hoc in libro locum tribui; ratio enim pontis ab anno 1607 instituta est[3], locatioque magni illius operis mense januario 1610 facta est[4]. Consilio lecti sunt qui, adjuvantibus architectis, tignariis cœmentariisque, fluminis magnitudinem metirentur; deinde visum est ut quattuor fornices et quinque pilæ ponti substruerentur; ut duo fornices quæ in medio essent, in decem octo pedes, aliæ in quatuordecim protenderentur, ut tres pilæ in Herium penitus descenderent, duæ in ripis starent, ut quæque pila in latitudinem octo pedes haberent. Viginti octo pedes pons latus esset; nemini juxta parietes domum struere liceret; loricæ quadrato lapide nec non sexquipedales adhiberentur. Ad aggerem utrinque in duo pedes assurgerent margines, quinque pedes lati, peditibus reservati; pons lapide perpetuo sterneretur; denique haud procul cataracta injiceretur[5].

In Redonico museo vel hodie videre est nomisma quod anno 1612 in fundamentis pontis novi implumbatum est,

1. Archives de Rennes, 57 : 13 avril 1588.
2. *Ibid.*, 57 : 1588 et 1610.
3. *Ibid.*, 478, A, f° 84, r° : 28 septembre 1607.
4. *Ibid.*, 216 : 22 janvier 1610.
5. *Ibid.*, 23 novembre 1609.



NOMISMA ANNO 1612 IN FUNDAMENTIS PONTIS NOVI IMPLUMBATUM.

cujus perfectam prope imaginem sculptura nostra refert. Nomisma orichalco confictum est; diametro millesimam metri partem centies vicies et bis assequitur. Altera in parte conspiciuntur Ludovicus tertius decimus et Maria de Medicis regio habitu; Ludovicus rex Galliæ inscribitur, Maria regni procuratrix; lilia undique sparguntur. Altera in parte, quod ad rem nostram propius pertinet, arma urbis effinguntur, scilicet scutum argenteis vel nigris coloribus intertextum, cujus caput herminiæ pelle quater maculatur [1], comitiva corona, id est annulus margaritis circum exornatus, quæ Redonicam civitatem olim comitatus caput fuisse testatur, denique funiculus quem Consilium urbis armis suis, in honorem ducissæ Annæ, adhibebat. Ista vero nomismatis pars hoc præsertim rarum offert quod imo in scuto herminia ingreditur, cujus corpus funiculo involvitur. Præterea circum hanc Redonicorum armorum descriptionem legimus : CLAVD. DE BRIT. PRÆF. VRB. RHED. HÆC FVND. IAC. SVNT A CIVIB. 1612 [2]. Constat igitur præfectum urbis tunc fuisse Claudium quemdam Britannicum, et eumdem alias Claudium dictum d'Avaugour, comitem de Vertus; nothum quemdam Francisci secundi avum habebat [3].

Multa quoque pecunia viis, plateis, pontibus purgandis et sternendis et omni modo denique tuendis impendebatur. Nunc publice in sex annos mille et ducentarum librarum locantur pontes reficiendi [4]; nunc quæstores illos inspicien-

1. Nostra lingua « l'écusson palé d'argent et de sable au chef cousu de quatre mouchetures d'hermine ».
2. Musée archéologique de Rennes, Catalogue manuscrit : n° 2485 Cf. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 81.
3. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 139.
4. Archives de Rennes, 476, A, f° 46 r° : 3 septembre 1599.

dos et reparandos sibi vindicant[1]; iidem operarios arcessunt qui plateam campi « Jacquet » exstergeant[2] aut terram in platea Sanctæ Annæ euntibus objectam in hortos Capucinorum transferant. Viis sternendis maxima dantur opera. Neque enim solum viæ in media urbe sitæ, verum etiam quæcumque itinera ad portas per suburbia tendebant, sternebantur. In actis publicis de locandis viis sternendis sæpius agitur. Anno 1598 via Magdalenes et pons ad episcopale suburbium ducens publice sternuntur[3]; anno 1599 publicos silicarios in suburbio septentrionali et in via alta reperimus[4]; iidem anno 1601 nobis occurrunt in viis quæ ad Pacé, Vezin, Dinannum, Sanctum Laurentium et Chantepie ducunt; isto anno non minus quam tria millia et septingentæ viginti novem libræ undecim soldi et sex denarii impenduntur[5]. Ex rationibus quæstorum constat quid quisque operis præbuerit. Denuntiatæ publice viarum sternendarum locationes nonnulla certiora afferunt : scilicet, anno 1600, ut quatuor et sexaginta tesas in latitudinem sterneret, silicarius quidam quinquaginta primum scuta flagitavit dein triginta tantum reposceret[6]. Consilium, ut videtur, vias qua ecclesiis contiguæ erant, non sibi sternendas esse ducebat; anno enim 1598 thesaurarii ecclesiæ Sancti Germani viam pro sua æde celerrime sternendam curare jussi sunt[7].

1. Archives de Rennes, 478, B, f° 15 v° : 15 février 1608; f° 34 v° : 23 mai 1608.
2. *Ibid.*, Comptes des miseurs (1601); 478, A, f° 77 r° : 24 août 1607.
3. *Ibid.*, 475, A, f° 3 r° et v° : 13 février 1598. Vide supra : De topographia urbis.
4. *Ibid.*, 476, B, f° 2 r° : 12 juin 1600.
5. *Ibid.*, Comptes des miseurs : 1601.
6. *Ibid.*, 476, B, f° 36 r°.
7. *Ibid.*, 475, A, f° 44 r° : 4 mai 1598.

Tuendis et augendis et reficiendis publicis ædibus vectigalia magna ex parte insumebantur. Henrico quidem quarto regnante palatium struendum visum est, aliquot tamen post mortuum regem annos inchoatum est et triginta sex demum post annos perfectum fuit. Libentius igitur, quanta opera ab ortu septimi decimi sæculi domui municipali et gymnasio Redonico instaurandis data fuerit, explicabo.

Consilium urbis, ut supra dixi, nuntiato Henrici quarti adventu ædiculam quamdam, anno 1598, struendam curaverat, in qua circa sæculum mansurum esset [1]; cujus tectum, quum præpropere ædificata esset, decem post annos jam ruebat [2]. Ceterum, quum angustissima esset, necesse fuit, anno 1608, illi adjungeretur vetusta quædam domus quæ forte juxta venalis esset [3]. Eodem isto anno sub domo municipali scalæ quadratis saxis ordinatæ sunt quæ ad gradus ducebant e quibus ad cameram summis consiliis reservatam recta via erat : cui operæ mille octingentæ et septuaginta libræ impensæ fuerunt [4]. Imo cæmentarius qui gradus exstruendos redemerat, quum ad quadraginta libras se detrimentum accepisse contenderet, causam vicit suamque pecuniam recuperavit [5]. Novæ fores ædi municipali præpositæ sunt, quas qui præbuit viginti quinque libras mercedem habuit [6].

Quid hoc anno 1608 domo municipali reficiendæ im-

1. V. in hoc nostro opere l. I, c. I, § 2 : De publicis conciliis; § 3 : De scriba et publicis chartis.
2. Archives de Rennes, 478, B, f° 58 r° : 31 juillet 1608.
3. *Ibid.*, 46 : 16 décembre 1608.
4. *Ibid.*, Comptes des miseurs : 1607.
5. *Ibid.*, 478, B, f° 24 r° : 2 mai 1608.
6. *Ibid.*, f° 23 r° : 14 mars 1608.

pensum fuerit, etiam nunc in documento quodam relatum et ordinatum ante oculos habemus. Hic quum separatim inscribantur opera cæmentariorum, tignariorum, tegulariorum, plumbariorum, lignariorum, speculariorum et pictorum, conjicere licet quanti, Henrico quarto regnante, materies per se ipsam aut tractata valuerit. Nempe tignario alteri trecentæ et sexaginta decem libræ expenduntur qui materias domo municipali exstruendæ præbuerit nec non adhibuerit, alteri viginti libræ, qui ligneas scalas destruxerit et abstulerit. Tegularius, tota domo tegulis operta, quadringentas et octo libras accipit. Qui plumbum adhibendum redimunt, libram plumbi duos soldos et sex denarios venire, nec minus quam quatuor millia et octingentas octoginta septem libras et semilibram sibi necessarias esse asserunt. Lignarii viginti septem libras in singulas fenestras reposcunt.

Ædes interior accuratius exornata est. Camera Consilii aureos et cœruleos colores induit et duodecim tabellis comicis vestita est. In camera cœtibus solemnibus reservata fenestræ et tigilla colorata sunt, lignaque disposita sunt quæ comicas tabellas mox sustinerent [1]. Anno 1610 domo decorandæ operam dare pergunt. Nempe in rationibus quæstorum nobis occurrit architectus quidam et idem sculptor, nomine Germanus Gaultier, a quo camini ingentes lapide colorato instruebantur, marmore intertexti necnon velis splendidis circum exornati; quibus perficiendis non minus quam septingentæ et undecim libræ expensæ sunt [2].

Haud secus Redonico gymnasio nonnullas mutationes

1. Archives de Rennes, 20 : 1608.
2. *Ibid.,* Comptes des miseurs : 1610.

afferri placuit, ex quo præsertim illud Jesuitis committendum esse visum est. Jam ab anno 1586 Consilium decreverat ut Patres vocarentur quibus adolescentes instituendi traderentur; quos collocare destinarat in cœnobio olim Sancto Thomæ consecrato, æde publica, in qua jam publicæ scholæ habebantur. Anno demum 1606 cum Jesuitis summa pactio facta est [1]. Interim gymnasium a rectore administratum est, cui aliquot professores præsto essent. Quum ædificium publica pecunia reficeretur [2], Consilium jus sibi vindicabat domo regendæ se immiscendi; rectori permittebat ut a pueris vel quinque vel tres soldos singulis mensibus pro parentum opibus exigeret [3]; legebat autem, qui illius rationes inspicerent [4], rem nummariam vel ibi ad se pertinere existimans. Damnabat igitur si quis peculatum aut aliam malam rem ageret; anno 1601 legati, facta de tumultu quodam inquisitione, impuram feminam e gymnasio expulerunt, rectoremque officio amoverunt [5]. Ex quo Patres Jesuitæ in gymnasio Sancti Thomæ administrando collocati fuerunt; Consilio haud ita obnoxii fuerunt, quippe qui dotem accepissent et certis e quæstibus nonnihil libertatis traherent.

Anno 1605, Consilium decrevit ut gymnasium maximis operibus reficeretur; quibus quid impensum fuerit non satis constat; compertum est vero impensam non in urbem tantum cecidisse : etenim provinciæ Ordines (seu *les États*) duodecim millia librarum ædificiis struendis tribuenda cen-

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 313.
2. Archives de Rennes, 475, A, f° 84 r° et 476, B, f° 67 r° : 6 mars et 8 décembre 1598, etc.
3. *Ibid.*, 475, A, f° 65 r° : 7 août 1598.
4. *Ibid.*, 476, A, f° 49 r° : 17 septembre 1599.
5. *Ibid.*, 476, B, f° 79 r° : 10 janvier 1601.

suerunt, ea tamen lege ut ista pecunia non Jesuitis, qui hanc ipsorum arbitratu dispensare voluissent, sed legatis Consilii a suo thesaurario traderetur [1]. Anno 1606 quæstores curant ædificium quoddam scholæ habendæ construendum [2], emunt domos et hortos quos gymnasió adjungant [3]; anno subsequente, præcipuum ædium membrum reficiendum esse arbitrati sunt [4]. In publicis igitur commentariis de magna æde instaurata [5], de redempta fabrili materiatura [6], de vetere æde destructa mentio facta est [7]. Consilium legit qui materiam emendam animadvertant [8], fabricæ materiariæ diligenter habendæ incumbant [9], et gymnasio ornamenta sua suppeditent [10]. Anno 1609 struitur aliud ædificium ubi philosophia demum juvenibus traderetur et solemnes conventus agerentur. Tertio die ante maias calendas tres primi lapides subfundati sunt; quorum primus a domino de Lombard, secundus a priore comestabili, tertius a posteriore locatus est [11]. Libellum etiamnum habemus ex quo, quid hujus operis redemptori impositum fuerit satis constat; nempe hic dilucide exponitur qua in altitudine substructiones jacere visum sit, quam parietum crassitudinem aut quid cæmenti necessarium existimaverint, quantum lapidis quadrati adhibendum esse censuerint, quem ædi cuique modum finierint, quantam

1. Archives d'Ille-et-Vilaine, C, 2646, f° 588 : 29 octobre 1605.
2. Archives de Rennes, 477, f° 10 r° : 1er janvier 1606.
3. *Ibid.*, 284 : 27 septembre 1606.
4. *Ibid.*, 478, A, f° 24 v° : 5 janvier 1607.
5. *Ibid.*, f° 56 v° : 1er juin.
6. *Ibid.*, f° 78 v° : 31 août.
7. *Ibid.*, f° 39 r° : 28 février.
8. *Ibid.*
9. *Ibid.*, f° 77 r° : 24 août.
10. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 314.
11. Archives de Rennes, 479, A, f° 35 r° : 27 avril 1609.

latitudinem et altitudinem fenestrarum esse voluerint, qualia scuta super foribus posita, qui lapides coronando ædificio superpositi fuerint; ut cetera de foribus, de ferrea materia, de materiatione, de specularibus omittam. Nemini dubium esse potest quin Consilium aut Consilii legati pactiones cum redemptoribus summa cura fecerint [1].

Quanta publicis operibus, regnante Henrico quarto, opera impensa fuerit, quis dubitet quum tot alia opera simul suscepta intueatur ? Non solum enim Jesuitis, verum etiam Capucinis sedem Consilium offerebat; his enim aream quamdam emebat, quam deinde muris circumdedit [2]; turris magni horologii accurate reficiebatur [3]; fastigium ecclesiæ Sancti Salvatoris renovabatur [4] ; denique valetudinarium struebatur [5]; quas sibi partes istis in operibus conficiendis Consilium vindicaverit jam supra dixi. Imo idoneas potui aquas Redonibus præbebat, antlias integras servandas curabat [6], nec non apud præsidiales judices reos poscebat qui fistulas improbe interrupissent [7]; pactionem cum aquarum curatoribus et iisdem plumbariis faciebat, iisque opus peragendum subtiliter indicebat [8].

De solitis impensis satis est : addam tantum ligna, in domo municipali comburenda, quæstoribus emenda fuisse, necnon aliquoties panem et vinum qui hic absumebantur [9]. Iidem cognitoribus, qui rationes recepti et expensi expun-

1. Archives de Rennes, 284 : 20 mars 1609.
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 322.
3. Archives de Rennes, 476, A, f° 36 v° : 6 août 1599.
4. *Ibid*, 478, B, f° 15 v° : 15 février 1608.
5. *Ibid.*, f° 23 r° : 14 mars.
6. *Ibid.*, 476, A, f° 36 r° : 6 août 1599.
7. *Ibid.*, 226 : 2 février 1602.
8. *Ibid.*, Comptes de miseurs : 1601.
9. *Ibid.*, 476, B, f° 75 r° : 1er janvier 1601.

gebant, certam pecuniam reddebant. Sic anno 1601 postquam recognitæ sunt quæstorum rationes, non minus quam centum et nonaginta quinque libræ a Consilio impensæ fuerunt, quum accepta pecunia decem millia tantum et septingentas sexaginta novem libras, expensa vero non minus quam undecim millia et trecentas nonaginta unam libras assequeretur[1].

Insolitæ impensæ, si decimum sextum sæculum tantum respicias, haud ita sumptuosæ erant; quæ vero, decimo septimo sæculo, justos fines transierunt.

Inter insolitas impensas, quid auxiliorum coactoribus distribueretur, primum annumerandum est. Redonici burgenses, vectigalibus immunes, urbana auxilia exceptione præbebant. Quapropter soldus in libram quamque coactam summis quæstoribus a Consilio tribuebatur. Sic anno 1601 quæstores nostri ducentas et octoginta quinque libras solverunt magistro Claudio Cherbonnel, scripturario nobilis viri, Petri Fyot, consiliarii Regis ejusdemque in Britannia summi quæstoris[2].

Sumptibus quoque insolitis et vel, ut supra dixi, legati nimiis materiem præbebant[3]. Muneribus[4] Consilium adeo indulsit ut artibus astutis[5] mox abuti, ut compensationem assequeretur, coactum fuerit. Quum principes, inclyti domini vel egregii viri, urbem Redonicam invisebant, munera permulta hospitibus dabantur; ceterum illis accipiendis variæ et permultæ impensæ decernebantur. Quod

1. Archives de Rennes, Comptes des miseurs : 1601.
2. Qua voce reddidi nostrum « receveur général des finances ». Comptes des miseurs : 1601.
3. Vide supra : De legatis vel intra vel extra muros.
4. Intellige « gratifications ».
5. Intellige « expédients ».

præfectis urbem primum ingredientibus vasa argentea oblata fuerint[1], quod dominus de Montbarot ex itinere rediens, vino donatus sit, quis miretur[2]? Quod si eadem liberalitate in transitu tractati fuerint summus quidam ærarii curator[3] filiusque ministri regni[4], Consilium, ut videtur, gratiam illorum et auxilium sibi conciliare proposuerat. Nullo vero adhibito modo, munera tributa sunt anno 1598 pluribus regis comitibus. Non solum cancellarius, dominus de Schomberg, dominus de Gesvres, minister regni, dominus de Vitry, centurio satellitum, et baro de Salignac, exercitus parti præfectus, cadum suum accipiunt[5]; verum etiam marescallus, qui castra regebat, asturcone donatur[6]. Quæstores largiuntur duodecim scuta marescallo, ædium provisore, tredecim præcursoribus, sex sagittariis et iisdem satellitibus, quatuor sagittariis et iisdem portæ custodibus, sex statoribus, quatuor tubicinibus, viginta satellitum subcenturionibus; admissionales duodecim scuta accipiunt. Publicis tabellis alia munera inscribuntur; sic lagenæ et doliola condituris referta in honorem regii hospitis distributa sunt[7]. Ceterum mos cunctis civitatibus erat egregiis hospitibus eorumque comitibus munera præbere; Namnetes haud secus ac Redonenses agebant[8]. Quum urbem Redonicam ingrediebatur,

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 176.
2. Archives de Rennes, 475, A, f° 25 v° : 3 avril 1598.
3. *Ibid.*, 476, C, f° 18 r° : 20 mai 1602. Quem summum ærari curatorem dicimus « Général des Finances ».
4. *Ibid.*, 475, A, f° 24 v° : 3 avril 1598. Qui minister gallice vocabatur « Secrétaire d'État ».
5. *Ibid.*, f° 51 r° : 9 mai.
6. *Ibid.*, f° 47 v° : 5 mai.
7. *Ibid.*, f° 52 r° : 12 mai.
8. Meuret, *Annales de Nantes* (Paris, 1830-31), t. II, p. 151 : 1607.

summus Curiæ præses Consilio primum obvio occurrebat, vinumque aut condituras muneri accipiebat[1]. Idem de præfectis provinciæ dici potest, mosque eo evasit ut ministri, istorum comites, aperte quererentur, si munera diutius exspectanda essent[2]. Anno 1613 domina de Vendôme Redonicam urbem, in qua Ordines Britanniæ habendi essent, cum conjuge intravit; cui, quum anno 1608 dominus de Vendôme solus venisset, urbs Redonica nondum amorem profiteri potuerat. Consilium igitur decrevit ut illi duo labra argento inaurato offerrentur[3]. Denique munera eum locum in nostra civitate occupaverunt ut, anno 1622, plures clausulæ præscripti ad illa pertinuerint : ex quibus manifestum est munera tributa esse regiis legatis, quum Ordines Redonica in urbe haberentur, et vel magistratibus advocatis, aut ab initio aut sub finem conventus : haud secus bis quotannis clarissimi Senatus præsides, regis in eodem Senatu cognitores et consiliariorum decanus muneribus exornabantur[4].

Nunc inquirendum est quibus sumptibus in universum civitas indulgeret quum summi quidam viri hospites acciperentur; sumptus, ut æquum est, hospitum auctoritati congruebant. Anno 1598 Henricus quartus ipse urbem Redonicam invisit. Consilium igitur decrevit tributum soldi et assis quaque ex amphora in annum exigendum esse, quum nullo alio modo sumptibus suis suppeditare posset[5].

1. Archives de Rennes, 476, B, f° 5 r° : 27 mars 1600.
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 169.
3. *Ibid.*, f° 177. Domina de Vendôme, anno 1613, unum et viginti annos nata erat; Cæsari de Vendôme ab anno 1598 desponsa, anno demum 1609 collocata erat. Biennio quam maritus major erat.
4. *Ibid.*, f^os 88 et 89.
5. Archives de Rennes, 475, A, f° 30 r° et v° : 13 avril 1598.

Quod ubi est decretum, quæstores permulta jussi sunt. Episcopalem domum ad regem accipiendum reficiendam curaverunt : magnum auditorium dealbatum est [1]; cameræ cellæque ordinatæ sunt; aula, situ senta, expurgata est [2]; nonnullæ vehes paleæ emptæ sunt, quibus lectis suppleretur. Confecta sunt duodecim lignea candelabra exornandis regis ædibus [3], nec non eumdem ad finem textilia conducta sunt [4]. Rege adventante, a quæstoribus missi sunt per viam ad Chateaugiron ducentem qui sarcinæ illius afferendæ operam darent [5]. Quibus viis a porta Omnium-Sanctorum ad ecclesiam cathedralem regi eundum esset, Consilium statuit; deinde decrevit ut, illa die, magnum horologium duas in horas tinniret, ut colubrinæ et tormenta adhiberentur [6], ideoque centum triginta libræ carbonis sulfurati Michaeli Morbihan, tormentorum curatori, traderentur [7]. Comparavit duodecim scuta quorum quatuor Franciæ armis, quatuor Navarriæ, quatuor Britanniæ exornabantur; quorum tria super portam Omnium-Sanctorum, tria in limine ecclesiæ Sancti Germani, tria in vestibulo episcopalis mansionis, tria super portas ecclesiæ cathedralis suspensa sunt. Umbella lubrica nec non albidula serica texta auroque fimbriata, qua Henricus quartus opertus incederet, parata erat. Rex hunc honorem abnuit; sumptus nihilominus factus erat umbellaque quæstoribus credita est [8]. Lecti sunt qui textilia emerent signaque regiis coloribus exornata conficienda

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 40 v° : 29 avril.
2. *Ibid.,* 475, A, f° 42 r° : 2 mai 1598.
3. *Ibid.,* f° 52 v° : 12 mai.
4. *Ibid.*, f° 42 r° : 2 mai.
5. *Ibid.*, f° 47 v° : 12 mai.
6. *Ibid.,* f° 36 v° et 37 r° : 27 avril.
7. *Ibid.*, f° 39 r° : 29 avril.
8. *Ibid.,* f° 38 r° : 27 avril.

curarent : aliorum cura fornices hederaceæ juxta portam Omnium-Sanctorum[1], juxta ecclesiam Sancti Germani, juxta mansionem episcopalem instructæ sunt[2].

Medio in macello tabulatum exstructum est in quo fidicines starent[3]; delecti sunt qui globos fulmineo pulvere refertos tractarent. Candidis vestibus induti sunt quinquaginta pueri quibus dominus de Montbarot filium præfecit, quosque Cæsar de Vendôme recenseret[4]. Fabricatæ sunt quatuor claves argento inaurato, funiculo serico regiisque coloribus tincto conjunctæ, quæ regi urbem ingredienti præberentur[5]. Denique de cibariis actum est. Vigesimo nono aprilis die ea solum Consilium intuetur ; cui videtur emendas esse quatuor et viginti pernas moguntiacenses et centum quadraginta quatuor tomacinas, quadraginta octo linguas in fumo suspensas, septuaginta duo caseos, citreorum et aureorum malorum copiam, conditurarum doliola, anisi et persici sicci penum. Vinum non neglectum est ; quæstoribus parandi fuerunt duo cadi vino candido, duo musto rubello, quatuor vino externo nec non aliquot Hispanico et apud fortunatas insulas confecto vino pleni[6]. Consilium quoque jussit ut incola quisque se liberalem præstaret, domum suam tapetis adornaret[7] floresque et odores præpararet quibus viæ, rege transeunte, spargerentur. Thesaurarii parochiarum jussi sunt ecclesiarum frontem velare. Domos velari Henricus quartus noluit[8].

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 42 v° : 2 mai 1598.
2. *Ibid.*, f° 44 v° : 4 mai.
3. *Ibid.*
4. *Ibid.*, f° 46 r° : 4 mai.
5. *Ibid.*, f° 47 r° : 5 mai.
6. *Ibid.*, f° 40 r° : 29 avril.
7. *Ibid.*, f° 36 v° : 27 avril.
8. *Ibid.*, f° 44 r° et v° : 4 mai.

Ab istis haud ita differunt impensæ quæ anno 1608, domino de Vendôme, urbis præfecto, solenniter accepto, factæ fuerunt; aliquot tamen locum suum hic reposcunt. Scilicet Consilium pyramidem juxta macellum exstruendam curavit, quadringentis et viginti octo libris adhibitis; in platea Sanctæ Annæ tabulatum exstructum est, unde dux de Vendôme urbanam militiam recenseret orationesque in laudem habitas audiret; quod tabulatum una et sexcentis libris constitit. Plus octingentis libris tubicinibus solvendæ fuerunt. Duci vero præsertim egregia dona Consilium præbuit, scilicet fructuariam sportam et argenteum facibus fulmentum interrasilia; quibus non minus quam duo millia et septingentæ quinque libræ impensæ sunt [1].

Episcopus Francescus Lachiver urbem ingressus est secunda septembris die anno 1602, rite observato. Dominus de Montbarot, urbis præfectus, ejusdem vicarius, Consiliumque illi obviam iverunt usque ad portam Mordelesiam, solemnibus vestibus induti. Senatores missæ in honorem illius in ecclesia Sancti Petri celebratæ interfuerunt. Cujus vero introitus Consilio minimo sumptui fuit; ducentæ et triginta quinque libræ expensæ fuerunt [2].

Ineunte decimo septimo sæculo, feriæ publicæ variæ erant, publicaque pecunia semper habebantur. Ignes vel naturaliter [3] vel artificiose [4] in gaudium excitantur; tormenta permulta interdum sonant [5]; symphoniæ in propatulo habentur; militia publice recensetur, ducibus comis-

1. Archives de Rennes, 20 : 21 octobre 1601 (Quæ domino de Vendôme rite accipiendo impensa fuerint).

2. Archives d'Ille-et-Vilaine, 476, C, f° 44 r° : 1er septembre 1602 et f° 50, r° : 23 septembre.

3. *Ibid.,* Comptes des miseurs : 1601.

4. *Ibid.,* 475, A, f° 47 v° : 5 mai 1598.

5. *Ibid.,* 476, C, f° 57 v° : 6 décembre 1602.

tabilibus, vel præfecti vicario, aut ipso præfecto; alias magnum horologium concinit[1]; est quando siccæ conditurae et pastilli gustantur; in domo municipali choreæ publicæ informantur[2].

Funeribus quoque celebrandis Consilium operam dedit, quæ insolitæ impensæ habebantur. Marescallo d'Aumont in episcopali mansione mortuo debitos honores solvit, curam vero et honorem pompæ solemnis regendæ Ordinibus permittere debuit, quum dominus d'Aumont, dum provinciæ ministraret, mortuus esset[3]. Occiso Henrico quarto, egregia funebria in ecclesia cathedrali celebrata sunt. Locatæ fuerunt tædæ et cetera luminaria ea conditione ut locator funeris centum tædas integras suppeditaret minoresque tædas circum ecclesiam, spatio pedali asservato, disponeret. Idem capellam candelis et tædis perpetuis illustrandam suscepit; quadringentas libras a Consilio accepit. Media in ecclesia Sancti Petri tabulatum exstructum est, tentorio quodam auctum, quod locatum quoque erat. Locatoribus velluta suppeditanda erant. Nulla in urbe ecclesia, nulla cœnobii capella fuit ubi princeps ara nigro velluto luctuose velanda non fuerit. Quæ cuncta funebria, triduo habita, tres millia et ducentas viginti libras constiterunt[4], ex quibus patet quantum illo leto Regis Redones commoti fuerunt. Scilicet Redones consentiebant marescallo de Brissac qui, apud Ordines in urbe Sancti Brioci habitos, nullum fere testimonium sui doloris reliquum esse contenderat[5].

1. Archives d'Ille-et-Vilaine, Comptes des miseurs : 1601.
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 177.
3. *Ibid.*, f° 197 : 19 août 1595.
4. Archives de Rennes, Comptes des miseurs : 1610.
5. Brissac. *Recueil de plusieurs harangues, remontrances, discours et advis d'affaires d'Estat de quelques officiers de la Couronne*

## CAPUT II

Quomodo res militaris constituta fuerit. — Quid juris Consilium in hanc usurpaverit : De quinquagenariis; de rei publicæ temperatione; de tormentorum custode et eodem curatore; de præcipuo janitore ejusque ministris. — De collegio papagallico ; de privilegiis regum papagallicorum.

---

Præter rem municipalem, quam propriam administrabat, Consilium nonnihil rei publicæ attingebat. Videri potest, quod ad rem militarem attinet, quinquagenarios, eorumve legatos, tormentorum custodem, præcipuum janitorem ejusque ministros præfecto urbis solum pependisse. Isti tamen minime tunc mirabantur si qua jussa a Consilio acciperent. Munera perturbabantur : sæpius præfectus urbis et senatores rem publicam administrandam sibi arrogabant ; non semel Consilium urbis jura sua transgressum est. Nempe a Consilio urbis quinquagenarii legebantur[1]; iidem, priusquam munus inirent, coram præfecto aut ejus vicario aut comistabilibus in verba a Consilio indicta jusjurandum dabant[2]. Quos Consilium sibi ita obnoxios existimabat ut eos vel in domum suam advocaret, vel ab æde municipali amoveret; quum in concessu accipiebantur, locum suum post mensam habebant; quum jus suffragii obtinebant, unum suffragium

*et d'autres grands personnages, faict par Jean de Lannel, escuyer, seigneur de Chaintreau et de Chambort* (Paris, 1622) : 1610

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 70.

2. Nostra lingua « en présence de... ils étaient tenus de prêter serment à la communauté ».

commune ferebant[1]; iidem operam dare jussi sunt imperatæ pecuniæ inter vicos distribuendæ[2]; quid quod a Consilio jussi fuerint convocare, quisque pro parte virili, incolas qui armati obviam summo Armoricæ præfecto irent[3]? Si præfectus urbis abesset, vicarii ejus profecto erat militiam urbanam convocare; illum saltem moneri decuisset ut, quæ ex re essent, ageret, nedum, eo neglecto, quinquagenarii ab ipso Consilio jussa acciperent. Quum anno 1598 Rex urbem Redonicam ingressus est, militiæ certum munus Consilium imposuit; decrevit ut burgenses obviam Regi irent, in equis, comistabilibus præeuntibus[4], egregio ornatu et armis; elegit quoque ubi Rex burgenses inspiceret. Mulctam scuti minabatur renitenti cuilibet[5]; quibus ex minis satis constat vicarium præfecti et comistabiles per se ipsos parum valuisse.

Consilium non videtur operam dedisse ut certa ratione securitatis urbanæ custodes crearentur. Scilicet a domino de Montbarot institutæ erant (anno 1588) tres centuriæ quæ vigilias agerent; istæ vero segniores erant, quippe quibus burgenses tantum interessent, quibusque quinquagenarii, nulla adhibita mercede, præessent[6]. Senatus in latrones edictis persæpe sæviebat, centuriones in illos irruere jubebat; latrones nihilominus impune agebant[7].

Curator et idem custos tormentorum mercedem a Consilio accipiebat[8]. Cui a Consilio quoque tradebatur pulvis

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 71.
2. Archives de Rennes, 136 : 1er janvier 1591.
3. *Ibid.*, 478, B, f° 61 r° : 13 août 1603.
4. *Ibid.*, 475, A, f° 40 v° : 29 avril 1598.
5. *Ibid.*, f° 43 : 2 mai. Apud nos « un écu d'amende ».
6. *Ibid.*, 151 : 28 avril 1595.
7. Registres secrets : 4 juillet 1595; 2 novembre 1602; 13 septembre 1603.
8. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 61.

sulfureus quo ei opus esset, vel pecunia cujus impensæ ratio reddenda esset[1]. Quum tormentis sumptum indulgerent, primarii illorum curatori imposuerant ut interdum recognosceret et indiceret quæcumque tormenta in manu haberet. Hujus generis documentum, ab anno 1599, superest. Ex quo duo tormenta erant apud forum, Cartage nomine; in domo municipali quinque minora tormenta in duodecim aut quinque pedes protenta, insignibus urbis decorata, vel jacentia vel anteridibus imposita; in turre Sancti Yvonis duo alia non elata; in turre campi dolentis ferrea nec non unco aucta fistula[2]; in turribus Omnium-Sanctorum, candidisve in turribus eorumdem armorum quæ copia fuerit, indicitur; quæ enumerare supervacaneum esset. Addam solum belli instrumenta et apparatum post bellum civile non mediocria fuisse; non minus quam una et nonaginta machinæ erant; imo servabantur nongenti quindecim globi quorum centum quinquaginta lapidei erant, octo cadi pulvere ignibus obnoxio[3] pleni, tres cadi sulfure referti, qui mille et centum triginta octo libras pendebant, duo millia et ducentæ viginti quatuor libræ pulveris sulfurei, quingentæ octoginta hastarum acies, laternæ, et cetera quæ vel expungendis[4] vel implendis[5] tormentis adhibebantur, fossorumque sagula[6]. Curator tunc erat Michael Morbihan.

Munus janitoris e Consilio parte aliqua pendebat; nempe

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 39 v° : 29 avril 1598; 476, C, f° 57 v° : 6 décembre 1602.
2. Id est gallice « arquebuse à croc ».
3. Apud nos « salpêtre ».
4. Id est « écouvillons ».
5. Id est « refouloirs ».
6. Gallice « casaques de pionniers ». Archives de Rennes, 163 : 7 juillet 1599.

novos janitores Consilium cooptabat, suamque cuique mercedem tribuebat. Quum forte dominus de Vendôme, summus Armoricæ præfectus, præcipuum janitorem legere, anno 1599, vellet, procurator syndicus reclamavit ostenditque jam abhinc centum annis hunc ministrum a Consilio constanter lectum fuisse ; dominus de Vendôme a contentione destitit[1]. Janitor præcipuus curabat portas certis horis vel aperiendas vel claudendas; quod ad rem militarem pertinebat, præfectum urbis ducem habebat eique quotidie claves portarum tradebat. Ipse adjutoribus nonnullis utebatur quibus mercedem de suo tribuebat.

Institutum erat Redonica in urbe, velut in plerisque Britanniæ urbibus[2], collegium quoddam, armis tractandis addictum, quamquam rei militari haud ita connexum. Cujus collegii sodales papagallici[3] vocabantur, quippe qui avem ferream vel ligneam, papagallum nomine, arcu vel arcuballista vel ferrea fistula, sibi summa in turre qualibet feriendam proponerent. Quotannis inter sodales certamen erat rexque appellabatur cui papagallum destinatum ferire contigerat. In annum a collegio legebantur duo præpositi[4] qui communem pecuniam administrarent. Papagallicos reges et præpositos et sodales non omnino a se alienos Consilium putabat.

Quo de collegio tabella quædam publica certiores nos facit. Primo maii die (1607) præpositi, permultis sodalibus comitantibus, ædem municipalem introierunt Consilioque honoris causa papagallum obtulerunt, cui optime fabricando ipsi operam dedissent, cuique præfecti vicarius

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 56.
2. *Ibid.*, f° 235 : 1540.
3. Scilicet « chevaliers du papegault ».
4. Gallice « prévôts du papegault ».

notam suam apposuisset. A Consilio papagallus inspectus est, ne quid imperfectum esset. Ut mos erat, præpositi nominaverunt inter quos a sodalibus eligendi essent qui ipsorum in locum succederent. Coram igitur Consilio, lecti sunt novi præpositi Johannes Vollant, pharmacopola, Guillelmus Pichart, procurator apud præsidiale tribunal. Qui postquam publice jusjurandum pronuntiaverunt, dominus de Lombard abiit, comitantibus sodalibus, ut ludi initio præesset. Omnes igitur vacuum quemdam locum petierunt post ædem municipalem, nec non sub turre quercus situm, cujus in culmine papagallus dispositus est[1]. Ab anno 1608 non jam hic certatum est verum in fossa ultra ecclesiam Sancti Georgii perducta. Inde papagallus, communi corporis humani magnitudine observata, affixus est et vel erro velatus est per quod medium glande plumbea tangendus esset[2].

Quæ documento quodam (anno 1601) confirmantur. Quomodo rex electus fuerit, undevicesima junii die (1601), hic ostenditur : nempe dominus de Lombard, comitantibus aliquot munere defunctis regibus, ambobus præpositis et permultis sodalibus, Consilio tradiderunt Andream Chevet, pistorem, qui, data fandi copia, pronuntiavit papagallum a se, ordine observato, tactum esse. Cujus verba præpositi confirmaverunt ; et quum nemo jam obstaret, dominus de Lombard eum adegit ut munus regis fideliter se impleturum jurejurando affirmaret. Qui isto honore exornabatur, toti collegio præsidebat ; cui quidem papagallus anno subsequente solvendus erat ; privilegiis vero rex quæstuosissimis augebatur. Postquam jusjurandum præstitisset, Andreas Chevet e domo municipali exiit, comitibusque

1. Archives de Rennes, 478, A, f° 49 v° : 1er mai 1607.
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 235.

domino de Lombard, prioribus regibus, præpositis et sodalibus, adiit tumulum arcuballistariis olim reservatum, haud procul a porta Sancti Michaelis, ibique, glande non adhibita, ferrea fistula semel usus est[1]; quod solemne habebatur in memoriam arcuballistariorum qui hunc locum olim palæstræ suæ elegerant[2].

Pauca addam de administratione præpositorum, de regis privilegiis; deinde exponam quo modo pars horum privilegiorum ærario attributa fuerit. Rationes præpositorum ab anno 1603 ad annum 1604 ante oculos habemus; quicumque collegii sodalis accipiebatur, libram primum ob id solvebat, deinde quotannis duo soldos conferebat. Anno 1603, Redonica in civitate, non minus quam ducenti et triginta tres sodales erant. Præpositi tamen sumptibus suis non sufficiebant; quod quum Consilium, recognitis illorum rationibus, comperiret, aliquid auxilii iis tribuebat, ita ut collegium ære alieno solutum evaderet. Præpositi curabant missam hebdomadalem in cœnobio Carmelitarum celebrandam, quod quotannis quindecim libras exsolvebant; ejusdem cœnobii precatori gustatorium triginta soldis offerebant. Primo maii die, quum ludus inciperet, mercedem accipiebant qui in campum, ubi certamen habebatur, textilia, mensas et cathedras portarent; varii potus parabantur; magno apparatu gustatorium præfecto vel ejus vicario, comistabilibus et primariis apponebatur; quibus impensæ fuerunt septuaginta tres libræ et octo soldi[3].

Collegio, de quo nunc agitur, facilis et communis aditus erat. Paucis videlicet libra deerat sine qua sodali

1. Archives de Rennes, 59 : 19 juin 1601.
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 238.
3. Archives de Rennes, 59. Comptes des prévôts du papogault : 1603-1604.

fieri nemini liceret. Privilegia maxima ei tribuebantur qui destinatum feriret. Regi licebat importare et vendere aut vendendos tradere per amphoras, nullo portorio imposito, quinquaginta cados vino refertos. Malo vero dolo, multo majorem vini copiam, dum rex erat, importare impune poterat multamque inde pecuniam recipere; res eo evasit ut redemptores vini per modos vendendi querelas in reges papagallicos effuderint, et ab Henrico quarto tandem jus abstulerint victoribus pecuniam meritam solvendi, ne vinum deinde, ab omni munere liberum, venderetur [1].

Istud Henrici quarti edictum, quo jura arballistariorum delebantur, observatis, quæ ferreæ fistulæ [2] concessa essent, privilegiis tota in Britannia, imprimis vero nostra in civitate, incolis valde injucundum fuit. Redonicum Consilium regio edicto repugnavit [3]; sodales, ut æquum est, clamitaverunt. Ordines Rogem eraverunt ut decretum tolleret, privilegia ista contendentes communi utilitati concessa fuisse, postquam urbes tot ac tanta merita ducibus ac regibus contulissent [4]. Senatus in dubio stetit, libellos [5] Ordinum et Consiliorum accipiens, iisque edictum exhibens, ut querelas jure exprimere possent [6]. Attamen Henricus quartus in consilio perstitit, Ordinesque monuit, jura papagallo ad hanc diem concessa, Jesuitis jam fixiacis vel Redonicis transferenda esse. Cujus edictum tandem a summis judicibus in acta missum est [7].

1. Archives de Rennes, 59 : avril 1598.
2. Intellige « privilèges de l'arquebuse ».
3. Registres secrets : 25 juin 1605.
4. Archives d'Ille-et-Vilaine, C, 2705, f° 510 : 29 octobre 1605; 18 novembre 1606.
5. Nostra lingua « les requêtes ».
6. Registres secrets : 25 juin et 19 juillet 1605.
7. Archives d'Ille-et-Vilaine, C, 2705, f° 510 : 8 novembre 1607.

Redonicum Consilium fiscali huic regis præscripto haud ita, ut videtur, repugnare decuit; si enim privilegia ista integra servata essent, urbis gymnasium nullo modo refici potuisset. In dote quæ Jesuitis Redonica in civitate tunc constituta est, inscribuntur annuæ tres et mille libræ de pecunia quam prius regibus papagallicis redemptores vini per modos vendendi attribuebant [1].

## CAPUT III

### De re ecclesiastica; quid commercii Consilium cum clericis habuerit.

Pauca afferam de commercio a Consilio cum parochiis et congregationibus habito. Ex tabulis quibusdam tantum manifestum est thesaurarios jussa certis quidem in temporibus accepisse : sic anno 1598 jussi sunt qui plateas præ ecclesiis emundandas curarent, nec non sternendas vias, quum Rex exspectaretur [2]. Haud secus ecclesiæ intus velandæ fuerunt textilibus, campanæque omnes impellendæ, Henrico quarto urbem ingrediente [3]. Anno 1608, procuratore syndico auctore, Consilium monuit prædicatores et capellanos, qui valetudinarium struendum esse confirmarent [4]. Nulla congregatio prius Redonica in urbe statuebatur quam Consilium assensum esset, et vel multam

1. Archives de Rennes, 283 : 9 octobre 1604.
2. *Ibid.*, 475, A, f° 44 r° : 2 mai 1598.
3. *Ibid.*, f° 39 v° : 29 avril.
4. *Ibid.*, 478, B, f° 14 v° : 15 février 1608.

pecuniam impendisset. Abbatiæ Sancti Melanii, Sancti Georgii, Dominæ Evangelicæ, Carmelitarum et Franciscanorum cœnobia jamdudum condita erant [1]. Anno 1604 Capucini in suburbio admissi sunt [2]; anno 1606 Jesuitæ [3]; anno 1615 Ursulinæ, anno 1618 Carmelitæ, 1619 Minimi, 1628 Nonnæ Visitationis, 1630 Sancto Benedicto consecratæ Virgines Calvariæ, 1636 parvæ Catharinæ Sorores, 1642 Hospitales Monachæ [4], etc.

Litteris patentibus (anno 1604) decretum est ut Jesuitis Redonica in civitate ædes et jura sua tribuerentur; quos Consilium vocaverat; iis, Rege assentiente, collegium Sancti Thomæ tradidit, domibus et hortis proximis augendum [5]. Anno 1604 pactionem Consilium habuit cum provinciali præside, coram futuro gymnasii rectore [6]; quæ pactio irrita evasit, quum Consilium papagalli privilegia usque servare vellet, quæ si integra mansissent, nullo modo gymnasio dotem conferre licuisset [7]. Anno demum 1608, vicesima octobris die, pactio definitiva confecta est; qua Jesuitæ et Consilium subsequentes obligationes susceperunt : « Patribus in gymnasio instituendæ erant sex classes ubi rhetoricen, studia humanitatis et grammaticen adolescentes edocerentur; professores duo philosophiæ legendi erant quorum alter principia traderet, alter doctrinam ad finem perduceret, ut biennio juvenes philosophiam penitus haurirent. Vocandi erant qui optime administrando et reficiendo gymnasio operam diligenter impenderent. Primarii

1. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f$^{os}$ 344 et 346.
2. *Ibid.*, f° 347.
3. Archives de Rennes, 478, A, f° 6 v° : 27 octobre 1606.
4. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f$^{os}$ 347 à 350.
5. Archives de Rennes, 283 : février 1604.
6. *Ibid.*, 9 octobre 1604.
7. *Ibid.*, 284 : 10 septembre 1606.

autem incolæ impetraverant a precatoribus Sanctæ Dominæ « de Livré » et Sancti Martini « de Noyal » juxta Herium siti, Redonica in diœcesi, ut beneficia resignarent gymnasio, cui Patres præessent, tradenda. Haud secus gymnasio dotando deposita a precatore Sanctæ Dominæ de Bregain in diœcesi dolensi beneficia contulerunt. Acceperunt quoque Patres prisci collegii Sancti Thomæ quæstus. Denique gymnasio condendo et optime dotando Consilium tribuit tria millia librarum quæ, Rege auctore, e portoriis vino per modos vendendo, impositis exciperentur [1]. »

Ex quo Redonicos primarios Jesuitæ pro conditoribus et patronis habuerunt [2]. Ab anno 1606 ad annum 1699, primo anni incipientis die, rectori Jesuitarum haud secus ac ceteris debitoribus Consilium adeundum fuit [3].

## CAPUT IV

Quid curæ Consilium ægris publice impenderit. — De valetudinario Sancti Yvonis. — De hospitio Sanitati consecrato.

Superest ut summatim, quam operam ægrotantibus et egenis Consilium indulserit, indicem. Quæcumque enim ad annonam, ad urbis salubritatem tuendam, ad artes operosas vel ad mercaturam pertinebant, Consilium non negligere non potuit, quum summi judices summo jure intercederent. Summi judices permulta decreta tulerunt de

1. Archives de Rennes, 478, A, f° 5 v° et 6 r° et v° : 27 octobre 1606.
2. *Ibid.*, 283 : 2 janvier 1607.
3. *Ibid.*, 12 octobre 1607.

frumenti aut vini negotiatione, de annona qualibet per aversionem aut per singula vendenda; mittebant consiliarios et præsides, quibus præsentibus nulla jam auctoritas Consilii legatis superesset; jus providendi arripuerunt quotiescumque pestilentia urbem Redonicam invasit. Vix per eos Consilio licuit ut « pauperum patrem » eligeret, qui, nulla mercede accepta, rem nummariam, pauperibus adjuvandis administraret[1]. Imo Senatus distribuendis auxiliis rationem suam imponebat; miror equidem quod valetudinaria administranda Consilio reliquerit.

Duo Redonum in civitate valetudinaria erant, quorum alterum Sancti Yvonis nomen referebat, alterum Sanitati dicabatur. Prius decimo quarto sæculo conditum erat; paulatim variis donis ornatum creverat; anno 1558 Consilium ei adjunxerat quæcumque ædes prisco Sanctæ Annæ hospitio contiguæ essent[2]. Valetudinario Sancti Yvonis præerat custos, qui, a Consilio lectus, Consilio tantum assentiente, abesse posset, neque abire posset quin prius tradita sibi ornamenta recognovisset et arcis suis publicum signum apposuisset[3]. Infra custodem erant tres præpositi[4] vel dispensatores quos in annum Consilium legeret. Non prætermittendum est a præpositis, munere defunctis, seriem Consilio quotannis oblatam esse, in qua qui dignissimi viderentur, Consilium successores eligeret[5].

Duobus ex documentis patet quantum negotii custos et præpositi sustinuerint. Quorum alterum nihil aliud est

1. Archives de Rennes, 475, A, f° 89 v° : 1er janvier 1599.
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 336.
3. Archives de Rennes, 476, B, f° 6 r° : 27 mars 1600.
4. Quos dicimus « prévôts ».
5. *Ibid.*, 475, A, f° 77 r° : 23 octobre 1599; 476, C, f° 51 r° : 24 octobre 1602, etc.

quam ornamentorum recognitio quædam octavo augusti 1600 habita, alterum rationem recepti et expensi anno 1605 exponit.

Illa in recensione enumerantur arcæ, et armaria quæ hinc illinc in valetudinario disponebantur, pulpita, scabella et subsellia quibus ecclesia instruebatur; præsto erant, ut videtur, septuaginta tres duodecades cadurcorum, vela, albi pulvinorum ornatus, et copia cænatorii lintei; commemorantur quæ sacristiam exornent, scilicet argentei et stannei calices, candelabra argentea, cuprea, stannea, ferrea, virgo eburnea capsa argentea inclusa, trabeæ et capsulæ velluto vel serica lubrica nec non rubra, vel linteo argento, vel velluto sericave lubrica nec non flammea confectæ, textilia, tapeta et plumaria opera. Vasa coquinaria singula numerantur, scilicet ollæ, batilli, tripodes, lances et scutæ[1].

Ad Consilium profecto pertinebat quomodo suppellectiles se haberent in valetudinario quod dotavisset cuique ministros præponeret. Eamdem ob causam præpositorum rationes inspiciebat. Inquirebat quanta ex mulctis pecunia a Senatu, a præsidialibus judicibus, ab episcopo in laïcos sæviente valetudinario tributa esset; quæ privatæ largitiones fuissent, quæ legata accepta, quæ copia vini ex malis vel ex uvis percepta esset, quid pecuniæ reperissent præpositi in gazophylaciis, capsis et thecis. Denique omnes impensas inspiciebat; quæ singulæ in rationibus anno 1605 redditis enumerantur; nempe quotidie præpositi, quidquid emerant, inscripserant, scilicet quadras boum, vitulos, oves et sues, anguillas et murias, pisa et fabas, pruna,

1. Archives de Rennes, 319 : 8 août 1600.

zuccarum infractum, acetum, frumentum sordidum, avenam, fœnum et paleam[1].

Anno demum 1563 decretum est ut valetudinarium exstrueretur cui nomen Sanitas inscriberetur. Quod primum pestiferis tantum adhibendum esse Consilio visum erat. Pestilentiam vocabant quæcumque vitia corporis in contactos transilirent. Quum, anno 1608, nullum jam pestilentiæ vestigium superesset, Consilium decrevit mendicos huc congregandos esse. Præfectus est domo sacerdos, qui « custos » vocatus est; qui quum legeretur, in domum municipalem vocabantur episcopus vel major vicarius et soliti clerici legati. Decretum de isto valetudinario instruendo in manibus habemus; quid a custode Consilium exspectaret referam : « Custos sit vir probus, sapiens, sobrius, vitam tranquille et honestissime agens, qui cultum Deo optime adhibeat, ægrorum et servorum confessiones audiat eosque ad vitam honestam piamque mortem exhortetur; noctes atque dies ægrotantibus adsit, eosdem confitentes audiat, communione et inunctione muniat; infantes baptizet gratuito qui in valetudinario, per pestilentiam nascantur; ægros nutriendos et medicandos curet. » Cui tamen servus unus auxilium præbebat. Admirandum est quod tanto muneri vel potius tanto oneri, quum pestilentia sæviret, præpositus par fuerit. Nempe non solum sacerdotis et parabolani personam gessit, sed etiam tabulis mandavit qui hospitium intrarent, vel hospitio exirent; qui baptizarentur vel decederent; rationes constanter habuit; supellectiles recognovit; imo jussus est referre de omnibus testamentis, codicillis et supremis morientium votis. Testa-

1. Archives de Rennes, 319 : Min. de la recette et dépense des prévôts du 24 décembre 1604 au 23 décembre 1605.

tori cuique libertas usque servanda erat ; testamenta vel heredibus vel curatoribus tradenda erant. Custos, tam gravi munere exornatus, ducentas tantum libras mercedem accipiebat ; ipsi et servo cibaria præbebantur [1].

Redonicum Consilium adeo intendebat ad pestiferos optime curandos ut Sanitati chirurgos, medicos et pharmacopolas proprios adhibuerit. Nempe medici tunc in Britannia ita rari erant, ut in provinciam extranei mandandi essent et per mercedem asservandi [2]. Præter mercedem, medicus Sanitatis quoque mense accipiebat, unde victui suppeditaret. Idem obtinebat hospitium instructum, ligna et luminaria. Pharmacopolæ cuique quoque mense ex ordine quodam præbenda erant quæcumque medicamenta medicus reposceret [3]. Quorum rationes justos fines transire non semel Consilio visæ sunt ; præsidiales judices, quid tandem illis solvendum esset, statuebant [4].

1. Archives de Rennes, 325 : 29 décembre 1608.
2. Bibliothèque de Rennes, Ms. 320, f° 359.
3. Archives de Rennes, 475, A, f° 78 r° : 3 novembre 1598.
4. *Ibid.*, 476, B, f° 35 r° : 7 août 1600 ; 478, A, f° 53 v° : 11 mai 1607.

# EPILOGUS

Quomodo, Henrico quarto regnante, urbs Redonica administrata fuerit, per singula explicavi; jam de ista administratione in universum æstimandum est, jam dijudicandum quid in ea laudandum, quid vituperandum sit.

Consilio urbis, cui summa rei publicæ, ut ita dicam, committebatur, operam navabant plures ministri : suum cuique munus finitum erat. Procurator syndicus, quibus de rebus consilium haberetur, statuebat : commodis publicis studiose indulgebat, seu cum regiis legatis, vel cum Rege ipso commercium epistolarum habebat, seu personam civitatis apud judices gerebat. Eodem igitur munere erga publicum Consilium fungebatur, atque regii procuratores regias apud jurisdictiones. Quæstores pecuniam publicam et accipiebant et impendebant ; operarios legebant, si quid opus non locaretur ; rationes suas reddebant, procuratori syndico, contrascriptori, Consilio ipsi, summis computorum cognitoribus. Contrascriptor, quæcumque quæstores impendissent, expungebat. Scribæ a quo chartæ publicæ servabantur, subscriptio idem valebat ac subscriptio regiorum tabellionum. Multos humiliores ministros præterea

qui vel Consilio tantum, vel Consilio simul et præfecto parebant. Qui omnes ministri, ut res publica optime gereretur, operæ videntur non pepercisse.

Ceterum ea rei nummariæ temperatio erat, ut dilucidæ essent recepti et expensi rationes. Quum publicis ministris tantum salarium præbendum erat aut reficiendis viis, plateis et ædificiis sumptus adhibendus, pecunia publica fere eadem semper accipiebatur. Quod si, perficiendis magnis operibus, struendis altis ædibus, festisve publicis habendis, nova vectigalia imponerentur, opes suas tamen Consilium ad assem cognoverat, quippe quum redemptori cuique certa pecunia ærario conferenda esset.

Singulas vero impensas in calendariis inscribi mos fuit; solitæ impensæ ab insolitis secernebantur. Solitæ impensæ mercedes et indemnitates vel Consilii vel regis ministris tributas et publica omnia opera attingebant; insolitæ legationibus et largitionibus sufficiebant. Nemini dubium esse potest quin solitæ impensæ bene compositæ et distributæ fuerint. Consilium ministris suis non nimias mercedes tribuisse videtur; non obsequitur, si quis regius legatus locupletem domum sibi parandam esse contendat. Ineunte quidem decimo septimo sæculo, sumptus nimios facere videtur, quippe quod pontem et valetudinarium exstruendum, vias aperiendas, gymnasium augendum, urbem aquis potui idoneis instruendam, vias ab integro sternendas curet nec non palatium Curiæ instaurandum decernat. Earum vero impensarum, quarum nulla inutilis erat, summa videlicet promptæ pecuniæ congruebat. Ceterum ex documentis quibus relatæ sunt, manifestum est accuratissime conscriptas esse quascumque stipulationes redemptoribus operum publicorum Consilium imponeret. Cui vero quis ure succenseat quod domum suam exornari voluerit? Nonne

decebat primarios cives artibus, adeo neglectis, sese haud ita severos præstare? Præterea non obliviscendum est quantam pecuniam scholis publicis Consilium attribueret, qua cum cura pauperibus auxiliatum sit vel valetudinariis indulserit, qua diligentia pestilentiis moram fecerit.

Quæcumque in re publica mala sunt exorta non solum Consilio verum etiam Regi, præfecto urbis et Curiæ imputanda sunt. Sæpius privilegia, vel jura civitati nostræ concessa, infirmata fuerunt. Nunc per Regem summis exactoribus licet a primariis auxilia exigere quibus urbs exonerata fuerit; nunc summi computorum cognitores recusant ne privilegia urbis in tabulas suas referant. Anno 1592 Rex Consilio permittit ut procuratorem syndicum legat, mox vero tria nomina sibi proponi jubet, illumque magistratum, neglecto Consilio urbis, ipse elegit. Bello, imperium sibi præfectus vindicat, tributa civibus indicit, summamque rerum excipiens, omnia urbi tuendæ cedere vult; pace, Curia partes Consilii libenter occupat, quippe quæ securitatem urbanam suscipiat, macella inspicienda et annonam statuendam sibi vindicet. Sæpius, contempta Consilii auctoritate, privati apud summos judices confugiunt. Sæpius igitur Consilium infra Curiam in umbra jacuit.

Ceterum fateor privilegia civitatis nunquam plane definita esse, edictum anno 1592 promulgatum, ut publicos cœtus malis artibus locum et causam non semel præbuisse. Præfectus certe et Curia jura Consilii aliquoties præcipiebant; sed vel ipso in Consilio officia parum distincta erant. Nempe procuratores syndici quidam pactiones faciunt, opera publica perficienda curant, ædificia reficienda inspiciunt, quæcumque quæstorum sunt. Sæpe Consilium ipsum in locum quæstorum succedit legatosque illorum in munus mittit. Videtur tamen nullum certamen inter

publicos magistratus exortum esse; si quando res publica turbata fuit nihil Consilio crimini objiciendum est. Sic præsidiales judices cum præfecto de jure publicis consiliis præsidendi certaverunt, et necesse fuit ut præfecto jus suum a regio consistorio confirmaretur. Iidem judices posthac voluerunt, cum præfecti detrimento et injuria, locandis vectigalibus præsidere; Curia intercessit decrevitque ut locationes coram suis legatis jam fierent.

Consilium Redonicum, licet incertis edictis præscriptisve et nonnullis injuriis obnoxium fuerit, rem publicam, Henrico quarto regnante, haud imperite administravit : sumptui satis pepercit. Legationibus tantum et largitionibus minium indulsit. Tantas indemnitates legatis suis quum tribueret, nonnullorum qui rem suam rei publicæ anteponerent, cupiditatem movebat; quum egregiis hospitibus et vel eorum comitibus dona amplissima offerret, recta de regione deflectebat; nempe decimo septimo sæculo in diem insolitæ impensæ adeo auctæ sunt ut oneri pecunia publica mox impar evaserit.

# INDEX RERUM

## PROŒMIUM

DE TOPOGRAPHIA URBIS REDONICÆ, DE MULTITUDINE HOMINUM, DE ARTIBUS OPEROSIS ET MERCATURA, SUB FINEM DECIMI SEXTI SÆCULI.

## LIBER PRIMUS

QUIBUS ET QUA EX PARTE RES PUBLICA ADMINISTRANDA COMMISSA FUERIT.

---

# LIBER SECUNDUS

### QUO MODO RES PUBLICA ADMINISTRATA SIT, QUÆCUMQUE IN MANU PUBLICORUM MAGISTRATUUM SITA FUERINT.

---

# EPILOGUS

Vidi ac perlegi, Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona a. d. IV Idus febr. ann. M DCCC LXXXVIII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

A. Himly.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis rector.

Gréard.

---

# ERRATA

PLAN : nº 82. Veletudinarium *au lieu de* Valetudinarium.

P. 8. l. 14. perpetua *au lieu de* perpetuo.
» l. 20. aba » ab.
P. 9. l. 8. imprimis » imprimis,
P. 10. l. 12. relicta ; » relicta, *et* refert, *au lieu de* refert ;
P. 13. l. 14. videretur » viderentur.
P. 14. l. 10. 1598 » 1578.
P. 18. l. 11. Francesco... sint *au lieu de* Francisco... sunt.
l. 13. id. » id.
P. 21. l. 3. formenta *au lieu de* tormenta.
» l. 22. e quibus » e quibus,
P. 22. l. 5. juridictionis » jurisdictionis.
» l. 22. consilia, » consilia
P. 23. l. 26. juridictionem » jurisdictionem.
P. 24. l. 2. juridictionis » jurisdictionis.
P. 25. l. 12 et 20. id. » id.
P. 32. l. 20. cui » cuique.
P. 34. l. 16. quorum » quarum.
P. 35. l. 5. septuaginta, libras *au lieu de* septuaginta libras.
» l. 11. 1195 *au lieu de* 1595.
» l. 22. Mandata » Mandato.
P. 40. l. 24. pecuniama ccipiunt *au lieu de* pecuniam accipiunt.
P. 45. l. 19. creatus est ; *au lieu de* creatus est,
P. 46. l. 18. imperatorum » imperatarum.
P. 47. l. 9. rite » ritu.
P. 48. l. 4. quæcumpe » quæcumque.
P. 50. l. 5. voluerunt, » voluerunt ;
P. 52. l. 8. quo sede » qua sede.
P. 56. l. 4. nonnullus » nonnullos.
P. 60. l. 6. nundum » nondum.
» l. 19. rite » ritu.
» l. 26. operibu » operibus.
P. 61. l. 6. juridictione » jurisdictione.
» l. 10. eodem » eidem.
P. 63. l. 5. ædificis » ædificiis.
P. 64. l. 19. haberent » haberet.
P. 68. l. 4. dantur » dabatur.
» l. 20. *lacune après* triginta : quinque contentus est, quum alter quadraginta.
P. 71. l. 19. fuerunt ; *au lieu de* fuerunt,
P. 74. l. 20. legati nimiis » nimiis legati.
P. 75. l. 14. provisore » provisori.
P. 79. l. 14. Francescus » Franciscus.
» l. 14. rite » ritu.
P. 80. l. 11. fnnebria » funebria.
» l. 21. fuerunt » fuerint.
P. 85. l. 15. erro » ferro.
P. 87. l. 16. Rogem eraverunt *au lieu de* Regem oraverunt.
» l. 23. fixiacis » Fixiacis.
P. 95. l. 8. statuebat : » statuebat ;
» l. 20. præterea » præterco.
P. 96. l. 32. ure » jure.
P. 97. l. 24. *lacune après* ut : Consilium certa ratione legeretur, semper neglectum esse, et...
P. 98. l. 13. minium *au lieu de* nimium.
P. 100. l. 18. rite » ritu.

Maison Quantin imprimeur
r. S. Benoit, 7. à Paris

Maison Quantin imprimeur
S. Benoit, 7, à Paris